FRANCISCI BENCII

AB. AQVA. PENDENTE

E. SOCIETATE. IESV

CARMINVM

LIBRI. QVATTVOR

EIVSDEM. ERGASTVS

ROMAE, Apud Iacobum Tornerium.

CIƆ. IƆ. XC

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

FRANCISCVS BENCIVS SOCIETATIS. IESV

FRANCISCO. SFORTIAE S. R. E. Cardinali ampliſſimo S. P. D

MVLTAE me communes cauſae propriaeque impulerunt, Franciſce Sfortia Cardinalis, ſiue cum ſuperiorem vitam retexerem meam & naturalem cognationem, ſiue cum cogitarem praeſentem,

& ſanctioris vincula ſocietatis, vt hoc quicquid eſt munuſculi offerrem tibi. intelligebam videlicet me eadem opera gratum facturum compluribus neceſſarijs meis mihi coniunctiſsimis, qui ſummis viris famaque & virtute celeberrimis Mario & Paulo patruis tuis mirifice addicti ſemper ac dediti fuere: & Franciſco primum parenti meo, quem tum ſua ipſius cauſa, tum etiam mea, illi ijdem tui patrui, & tu inprimis Cardinalis ampliſsime proſequimini beneuolentia non vulgari: qua ille maxime cogitatione ſuſtentat crudam ſuam adhuc & viridem ſenectutem: Franciſco deinde Morello, eiusque fratribus germanis, meis conſobrinis, qui in obſequio quod acceperunt a

patre

*patre, quaſi hereditario iure perſeue-
rant. neq. non aliquid Haſdrubal po
tuit Andreae Bencij filius, tui ſtudio-
ſiſsimus, eaq. terra vbi primũ hauſi
hanc caeli lucem, quae & nunc gau-
det voluntario patrocinio excellentiſ-
ſimae familiae tuae, & laetata eſt o-
lim eiuſdẽ imperio ac ditione. Nam
quid de me dicam? qui cũ eſſem edu-
ctus atque edoctus hac ſpe, vt quãtu-
lum poſſem ingenio ac doctrina inſer-
uirẽ tuis, a patribus Societatis Ieſu,
quibus vitae meae moderãdae ac re
gendae quaſdã quaſi habenas cõmi-
ſi, illa ſuperiora neſciẽtibus, iuſſus sũ,
vt quibuſcũque in rebus ſciã poſsim-
que morẽ gerã voluntati ac dignitati
tuae? Ergo haec, etſi habent ali-
quid commune, tamquam propria*

 numerentur.

numerentur. Sequuntur communia: immortalia nimirum beneficia, mea quibus Sodalitas obſtrictam ſe eſſe profitetur Gregorio XIII propinquo tuo, qui immenſa beneficentia, & religionis propagandae cura ſupremam mortalium & caelo proximam dignitatem aequauit: quae eius beneficia talia ſunt ac tanta, vt & in noſtrorum omnium animis atque ore verſentur, nec memorentur a me ipſo, cum ſint in oculis Romanae vrbis, & totius prope orbis Chriſtiani. Has igitur ob res, non effugiſſem, vt arbitror, reprehenſionem hominum prudentium, ſi e duobus libellis meis qui nunc exeunt (quando vnus iam diu erat deſponſus) alter non praeſcripſiſſet ſibi nomen illuſtriſ-

ſimae

ſimae amplitudinis tuae. Maluiſſem ſane, haec quae offeruntur, meliora eſſe, ac digniora admirabili tuo ingenio, & quo teneris ſtudio rerum grauiſsimarum: ſed neque a mea imbecillitate in praeſens maiora exiſtere potuerunt, & fidem mihi facit tua humanitas ac nominis magnitudo, ut benignitate ſuſcipientis, ipſius rei quae offertur exilitas augeatur. Vale. E Collegio Romano Pr. Kal. Octob. CIↃ IↃ X C

INDEX CARMINVM

LIBER PRIMVS

Poëmatum heroico carmine deſcriptorum. Eorum nomina haec ſunt.

CARMEN quo quaeritur quae ſit optima ratio tranquillioris vitae inſtituendae pag. 1

De origine Rhetoricae 16

Epicedium Pauli Stellae 35

De alma domo Lauretana 39

De obeliſco Vaticano 45

De tholo S. Petri 48

Iudicium Laboris & Torporis 55

Precatio ad Deum 67

Aliud carmen eiuſdem argumenti 68

Aliud 69

Antonio Quaerengo 71

Ad duos Cardinales 73

Ad Cardinalem Maurocenum 74

LIBER

LIBER SECVNDVS
continet odas viginti, hymnos nouem.

AD Gregorium XIII. P. M. in tranſlatione S. Gregorij Nazianzeni. ode prima, pag. 76
In eadem 79
Ad Chriſtum pro Flandria 80
Ad Flandriam 81
In die Sanctorum Innocentium 83
Ode ſexta 84
Ad Philippum Regem Hiſpaniarum 85
De eodem 85
De obſtetricibus Aegyptijs 86
De Sanctis Abundio & Abundantio 88
Ad Martyres 92
In funere Caroli Ducis Cliuiae 95
Ad Gulielmum Caroli patrem 96
Ad Ioannem Moronum Cardinalem 97
De Romae Nouae victoria 98
De Virtute ex Ariſtotele 100
Collegium Romanum. Anagrammatiſmus 100
Ignatius de Loiola. Anagrammatiſmus 101
Ad Petrum Magnum 103
De obeliſco Vaticano 105

De S. Iacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono. hymnus primus pag. 107
De eodem 107
In translatione ſanctorum Abundij & Abundantij 109
In translatione S. Sympheruſae 110
In eadem 111
In translatione Sanctorum Zamae & Fauſtiniani 113
In translatione ſanctorum epiſcoporum, Simpliciani, Benigni Bencij, Siſinnij, Alexandri, & Martyrij 114
De ſancto Didaco Complutenſi 116
De eodem 117

LIBER

LIBER TERTIVS

Elegias quattuordecim complectitur.

DE Gregorio XIII. P. M. elegia prima 119
Ad Sixtum V.P.M. 122
De ſacello Exquilino 125
Ad Camillum Palaeotum 129
In funere M.Antonij Mureti iunioris. 132
In obitum Alexandri Farneſij Cardinalis 138
Ad Odoardum Farneſium 142
Ad Chriſtum 145
Ad Deum 146
Ad eumdem 149
Elegia vndecima 150
Ad Chriſtum in die Salutationis Angelicae 152
In die natali Domini 154
De Chriſti Domini precatione in horto 158

LIBER QVARTVS habet epigrammata viginti nouem, & diſticha tria & viginti.

DE Roma Vetere. epigramma primum 161
De Roma Noua 162
Ad Gregorium XIII. Pont. Max. de reliquijs translatis in templum nouum Farneſianum 162
Ad eumdem nomine regulorum Iaponiorum 163
Ad Sixtum V. P. M. de obeliſco Vaticano 164
De eodem 164
Ad Franciſcum Bencium parentem meum 165
Ad Sixtum V. cum inuiſit aedem S. Hieronymi Illiricorum 165
Epitaphium Helenae .... quæ in ipſo partu deceſſit 166
Epitaphium Bernardini Roſcij 166
In tumulo cuiuſdam 167
Ad Andream Bencium fratrem 167
In funere Iacobi Sabelli Cardinalis. Anagrammatiſmus 168

In

In duo eiuſdem argumenta illuſtriora 168
De eiuſdem columba. Anagramматiſmus 169
Ad inſignia F. Hugonis Cardinalis Meliten-
ſis 169
Ad effigiem S. Hieronymi 169
De imagine Deipatae 170
De Beatiſſima Virgine 170
De eadem in caelum aſcendente 171
De SS. Barptolemaeo & Ludouico 171
Ad imaginem conuiuij nuptialis in Cana Gali-
leae 172
Ad Maxentium martyrem 172
Ad effigiem S. Hagnae 172
Ad effigiem S. Franciſci 173
Aliud 173
De S. Maria Magdalene 174
De martyribus emblema 174
Aliud 174
Ad effigiem Chriſti redimiti ſpinis. Diſtichon
primum 175
Ad Chriſtum, dum cruci ſuffigitur 175
De rupe Caietana 175
Ad effigiem Chriſti Domini & B. Ioannis Bapti-
ſtae puerorum colludentium 175
Ad effigiem S. Petri 176
Ad effigiem S. Ioannis Euangeliſtae 176
Ad effigiem S. Gregorij Magni 176
Ad effigiem S. Franciſci 176
Ad imaginem Beatae Catharinae Senenſis
176

Ad

INDEX

Ad vas aquae luſtralis 176
Ad ſolarium matutinum 177
Ad effigiem S.Iuliani diſticha duodecim 177.178

ERGASTVS drama 179

Finis Indicis.

FRANCISCI. BENCII
E. SOCIETATE. IESV
CARMINVM
LIBER. PRIMVS

Carmen quo quaeritur quae ſit optima ratio tranquillioris vitae inſtituendae.

Dictum in nouo Gymnaſio Gregoriano Romae VI. idus Nouembris CIↃ IↃ XXCIV.

QVI fit vt anxiferae cum quiſque obliuia vitae
Otiaque & voto & blanda ratione ſequatur,
Atque omnes idem ardor agat, vix denique paucis
Vera quies dematque metus, ſtimulosque reuellat,
Et caecos tumido depellat pectore motus?
An quia in obliquum incerta regione viarum
Quiſque ſuum ſectatus iter, procul auius errat,
Atque alias vagus in partes diducitur omnes,
Nec potis eſt animus curarum euincere molem?

Sic equidem ducebam animo: at ſi quaeritis, ecquae
Momenta impulerint ſuſpenſam examine mentem
Vergere in hanc partem, niſi quid uos auocat, oro,
Attentas adhibete aures, animiſque fauete:
Ipſe quidem expediam, rerum & diſcrimina pandã.
Eſt bona pars hominum, quos plura innatus habendi
Torquet amor vana illiciens dulcedine ſenſus:
Namque illos ſimul ac tetigit praediuitis auri
Ardor inops, pectusque inſano perculit oeſtro,
Ilicet exiliunt ſumma & nituntur opum vi
Ad ſummas emergere opes: merguntur at ipſi,
Dumque aliud miſeri quaerunt, ſe perdere certant,
Vt quam auide cupiunt, nequeant ſperare quietem.
Sic auri quacumque lenis diffulſerit aura,
Fertur amans, feruetque amens, nil linquit inauſum,
Nil intentatum: temnens praeſentia, tendit
Id quod abeſt: nec meta datur, requieſque laborum.
Sic puer, vt corpus radiati ab lumine Solis
Auerſum tulit, vt radijs tendentibus vltra
Officiens, longam iaculetur protinus vmbram,
Ignarus ſi forte illam ludensve ſequatur,
Nil tamen aſſequitur demens, ſequiturque fugitque
Seſe idem, & cura & curſu defeſſus inani.
Ergo ille argenti venas, aurique metalla
Scrutatus, terrae partes rimatur opertas,
Et, ſaeuum, omniferae violat dum viſcera matris,
Ardet hians immane, feroque inuoluitur aeſtu,
Atque illam effodiens, viuum ſe defodit alte.
Aſpice vt exanimis, quaeſito vt concolor auro,
Palleat, & vultu teſtetur nubila mentis,

Vtque

Vtque animo incerto fluitans quid poſtulet ipſe
Neſciat, & quaerat ſemper, nec pectore conſtet?
Heu miſeri, quae vos ſubigit tam dira libido
Abdita naturae toties, penituſque latentes
Certatim penetrare ſinus, ſummique feracem
Materiem tentare mali, & recludere terras?
Nec ſatis hoc: audent ignotos voluere caſus,
Nec dubitant vitam fallaci exponere vento,
Et fragili freti ligno, freta caeca reductis
Solicitant remis, & monſtra natantia ſiccis
Spectauere oculis, blandi aut pellacia ponti
Rideat, aut triſti minitetur fronte procellas.
Non etenim facies eadem ſemper maris: altum
Iam ſternit, placidumque ſolũ: iam murmura voluit
Caeca tumens, magnoque vndarum fluctuat aeſtu:
Et quaſſans caput indomitũ fremit vndique, & ignes
Euomit: & caelo gaudens indicere bellum,
Foedere reſciſſo, montes attolit aquarum,
Atque equitem impatiens arrecto vt pectore crura
Ardua iactat equus, dorſo procul excutit: ille
Lucra petiturus, ſuprema diſſitus vno
Vix a morte gradu, iam caeli ſidera lambit,
Iam viſus penitus ſtygias intrare cauernas:
Se viuus viuentem effert, viuoque ſepulcrum
Nauigium ſtatuit, caeli ſuſpenſus & inter,
Atque maris molem, tandem ſe reſpicit, & ſe
Stultitiae damnans lacrimas effundit inanes.
Namque licet medio verſantem in turbine mortis
Quando abſumpta ſalus, vitae ſpes deſerit omnis,
Atque fugae, ac penitus ſpes ipſa extincta timorem

Extinguit, propiusque aperit ſe ianua leti,
Conſilia in melius referens, & mente recepta
Ipſe ſuam miſerans animam, ſe deflet, & illos
Felices clamat, qui laeti paupere cultu
Perfacile anguſtis tolerarunt finibus aeuum.
Quam mallet nullos duxiſſe ad pectora remos,
Et nullam preſsiſſe trabem, pontumque profundum
E terra ſpectare procul, ventosque furentes.
Scilicet extorſit veras e pectore voces
Mens commota malo, & duris exercita rebus.
Quod ſi forte maris tumidi Deus aequora placet,
Fluctibus & mediјs det fractam euadere puppim,
Pauperiem ferre indocilis, ſimul ante malorum
Oblitus, reficit deciſo robore quaſſam
Ipſe ratem, atque iterum tentat vada feruida ponti,
Inijciens ventis campo certamen aperto:
Tantum diuitiae diuerſo ab littore, tantum
Auri caecus amor potuit perferre laborum.
Sic propter vitam viuendi eſt nulla voluptas.
Quos etenim inflauit leuium ſpes anxia rerum
Vt vento, & vani rapuere cupidinis aeſtus,
Vruntur miſeri, & ſcinduntur pectora, quales
Aeſtate in media, cum facta ſilentia ſiluis,
Rumpuntur queſtu, viuentes rore cicadae.
Iam quid ego & pugnātum acies, Martisq. tumultus,
Aſperaque attingam ſaeui certamina belli?
Cum ſtetit in medio denſis exercitus armis
Inſtructus ſpatio, ardentes cum longa cohortes
Explicuit legio, & compleuit milite campos,
Et procul aduerſa oſtendit fluitantia ſigna,

Fulgor

Fulgor vbi ad caelum ſe tollit, & horrida circum
Aere renideſcit tellus, & Martius horror
Membra quatit, lectaeque ardent in proelia vires.
Nam ſimul ac pugnam raucus canor increpat, idemq.
Excitat armatos, animosque accendit, & ipſe
Admonet armipotens paribus concurrere telis,
Et conferre manum, & collatis quaerere ſignis
Aut palmam, aut mortem, decertantesque cateruae
Ceu quondam vaſto luctantes aequore venti
Proelia ſuſtentant ducibusque, & viribus aequis:
Extemplo horribili tellus tremit icta fragore,
Et mare longinquum horreſcit, caelumque remugit,
Reſponſant ſiluae, & montes: hinc ferreus imber
Ingruit, & late campi fluxere natantes,
Et procul accenſo nitroque & ſulfure viuo,
Aetherio tonitru, & caeleſtibus aemula flammis
Aera tonant, longeque globos ardentia iactant
Fulmineos, aciemque metunt, mediumque per agmen
Limitem agunt, ſaeuit mors horrida, & omnia ferro
Cum ſecat ancipiti, nigrantes explicat alas.
Tunc inter bellantum iras, gemitusque cadentum,
Cum vox miſta virum, fremitusq. auditur equorum,
Et clypei galaeque ſonant, & ſtringitur enſis
Plurimus, & ſparſis tellus haſtilibus horret,
Et rubet: & triſti refugum ſtat puluere caelum,
Sanguineque effuſo manauit turbidus amnis,
Atque viros, atque arma virum deuoluit in aequor.
Quis memoret tremefacta olli per viſcera quantus
Inſinuet pauor, & tenui diſcrimine leti,
Quantus agat dubios terror, glacieque rigenti

Membra liget, coëatque pigra formidine ſanguis?
Tempore in hoc toto repetens ſuſpiria corde
Miles, vt in pacem flagranti pectore ſe ſe
Creber agit, caramque domum, caſtumque cubile
Coniugis, & dulces natos reminiſcitur, & quae
Sperat inops animi, pugnae mala: Iam ſatis, inquit,
Poenarum dedimus, iam coepti poenitet. o vos
O fortunati, dulcis quos commoda pacis
Laeta tenent, & certa ſalus, vitaque fruentes,
Expertes belli ſecuros ducitis annos,
Conſilio meliore vſi: ſunt otia vobis,
Eſt iucunda quies: vobis non claſſica ſomnos
Pulſa fugant: non hoſtis atrox cum fulminat, & cum
Intentans mortem, denſata vt grandine nimbus
Obuia proſternens ſaeuit, vos terruit: intra
Vos patriae fines, proprijsque in ſedibus aeuum
Degitis optatum faciles, vitamque ſerenam:
Contra ego non felix, notis diſiunctus ab oris
Exul ago, vitamque extrema per omnia duco,
Et metuo inſtantem momenta per omnia mortem.
I nunc, atque aude bellum praeferre quieti.
At parte ex alia, clari quem fulgor honoris
Percutit, atque oculos, animumque accendit & angit
Ambitio, Tyrijs iteratae vellera lanae
Muricibus, lectasque rubro de littore conchas,
Atque ſalutantum turbam, numerumque ſequentum,
Attonitis inhiantem animis, ſtudijsque petentem,
Et tenuis tenebras vitae ſordesque peroſum:
Roma tibi quorum fuit ingens copia quondam,
Sed nec abeſt fecunda ſeges: dum limina regum,

Atque aulas penetrat, domini nutusque loquaces
Obſeruat, fingens aliena ab imagine vultus:
Quanta putas miſerum vexant incendia? quantus
Eſt maeror? qui quamquam animo ſubſedit in imo,
Et premitur, tamen in muto ſaepe eminet ore,
Et riſum mendacem aperit, tectumque dolorem:
Nec mirum: inuidia, miſeroque cupidine pectus
Vritur, & cinere in multo veluti obrutus ignis
Emicat, & tenues index it fumus in auras,
Indicio patet ipſe ſuo, palletque pauetque,
Menſa cibi, lectus ſomni traducitur expers.
Quod ſi forte aliquem domini prouexerit aura
Curarum in partem, atque arcani conſcia ſenſus
Munera, vt in clara verſetur luce, potentem
Quem taciti ſpectent oculi, digitique loquantur,
Ambulet vt regi propior, propiorque ſedere
Vina inter lectaſque dapes, lectoſque miniſtros,
Et praelibatas epulas contingere poſſit:
O quanto liuore animus tabeſcit, & ira,
O quantum eſt odium vitae, lucisque tuendae.
Illum omnes colere, eſſe illi maxima curae,
Quaque tulit greſſum, laetos aſſurgere ciues:
Se gregis in numero, quem ſors obſcura recondit,
Non vllum geſſiſſe vnquam nomenque, decusque:
Et quamquam magnis magnorum obſeſſor honorum
Officijs pugnet, vanum cecidiſſe laborem.
Ergo vt auis quaerit deciſis abdita pennis,
Nec ſublime poteſt implumis tollere corpus:
Sic lucem fugiens hominum conſortia vitat,
Viuus vt ipſe ſuae producat funera famae.

Quippe indignatus maeret ceſſiſſe minori,
Cuius opes nequit, aut mores perferre ſuperbos.
Vſque adeo, vt cauta ſi verſes omnia mente,
Non forſan facile hoc omni ratione refutes.
Ille etenim ex humili qui creuit ſtemmate, & altum
Vertice conſpicuus caput extulit, iiicet omnem
Turgidus excelſa plebem deſpectat ab arce.
Quanta ſupercilio moles impoſta potenti,
Luminibus grauitas, toruae faſtidia fronti?
Vt quos maiores olim tulit improbus, atque
Dignior ante omnes humili vitaque locoque,
Iam poſitos infra nullis affatibus illos,
Sed ne oculis atque ore quidem, vultuque beato
Dignatur, metuens maculare hoc lumina caeno:
Oblitusque ſui, fortunaque ebrius ipſa,
Quae rerum ſubiere vices, quam nigra procella
Aeſtatem excepit, tempeſtatemque ſerenam,
Nil ſecum repetens ſtultus, quae ſomniat error,
Vera putat, falſusque animi, ſpem paſcit inanem?
Sed tamen interea rerum conuertitur ordo,
Atque hominum meliore loco, labefacta ruit res,
Et leuis incertos caſus tranſmutat honores:
Nunc mihi, nunc aliјs arridens ore benigno.
Heu vanos hominum niſus, ſtultumque laborem,
Lubrica quid toties petitis? quid certa pericla
Quaeritis incerti? quid tandem incommoda ſaecli
Augetis miſeri ſemper? ſpatium breue vitae
Quid breuius facitis? curasque accerſitis vltro,
Quae ceu praecipites fluuij de montibus altis
Subiectas celeri conſternunt agmine valles,

Sponte ſua ignaras mentes ac pectora inundant?
Vosne odium cepit veſtri? ſatis ipſa ſuperque,
Ne cumulate alios, maerorum examina in ortu
Cuique dedit natura ſuo: ne incendite morbum
Creſcentem, potius medicina flectite: gliſcit
Ille magis, viresque acuit, flammasque miniſtrat,
Et fecunda malis abſumit viſcera curis:
Aeſtiferis curis, quarum nec nomina quae ſint,
Nec quae ſint ſpecies, aut mẽte, aut carmine, quiſquã,
Credo equidem, nec vana fides, comprendere poſſit.
Dixerit hic aliquis, ſi curarum omnia plena,
Inque illas hominum natum genus, an pote certum
Sperari effugium? an veluti ratis aequore vaſto
Naufraga cum ſciſſa eſt, nautasque exponit in vndis,
Nuſquam tuta ſalus, mediaque in morte tenentur,
Sic etiam poſtquam mortalis lumina vitae
Quilibet attigerit, lacrimans, lacrimabilis idem
In mare naufragum matris proiectus ab aluo
Nuſquam tuta quies, luctus, curaeque ſequaces
Incubuere animis, nec inania iurgia miſcent?
Haud equidem abnuerim: nec quiſquã dicere falſum,
Omnia ſi ſecum reputet, me forte putarit:
Sed tamen in medijs tabulam ſi fortiter vndis
Naufragus arripias, conſtanti & pectore ſerues,
Paulatim adnanti liceat ſperare ſalutem.
Ille etenim prudens, fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, vitam iucundius optat
Ducere, & euentus habuerunt vota ſecundos,
Qui nec opes, nec caedem hominũ, nec ſperat honores,
Nec quibus immoritur vulgus: virtute ſed vna

Cuncta minora putat, diſcendi & captus amore
Inuigilat libris, libris ſe inuoluit, & ardet
Omnia veſtigans, rerum cognoſcere cauſas;
Quaeque oculos fugiunt, celeri percurrere mente.
Ille, licet tranquilla quies, curisque ſoluta
Gaudia non deſint, ſed amantes otia Muſae
Pectus alant, ludo non delectatur inerti,
Nec vacuas ignauus amat conſumere noctes;
Sed vigili excitus ſtudio, gratoque labore
Dulciter allectus, veterum monumenta virorum,
Et ſapientum artes, doctrinarumque reperta
Excutit, atque opibus mentem melioribus ornat:
Quandoquidem euigilans multa de nocte, priuſquam
Auroram gallus cantu; & plaudentibus alis
Prouocet, haec Solem rubicunda luce morantem,
Artibus ingenuis iamdudum affixus, & haerens,
Nobilibus mentem ſtudijs, & lumina paſcit.
Nam ſeu quae verum a falſo diſcriminat, & quae
Sermonem ratione artem concludere monſtrat,
Senſibus explorat tacitis, ſeu coepta latentis
Naturae, & varios iuuit componere motus,
Siue aciem obtutum rebus caeleſtibus infert,
Quis referat, quanta conſtet dulcedine pectus,
Qualia certatim perfundant gaudia mentem?
Scilicet exquirit tranſacti haud inſcius aeui
Qua corpus ratione ingens concreuerit orbis,
Atque ſuis deſcripta oris ſint membra, locisque,
Nec quicquam alterius tentet tranſmittere fines:
Caelum erret, ſtet terra, fluat mare, pendeat aer;
Et capiant certas animantum ſingula formas.
Illae

Illae autem, aeternum ſaecla vt ſe cuncta propagent,
Vnda velut fugiens veniente impellitur vnda,
Flumen idem remanet, pariter ſurguntque caduntque,
Inque vicem naſcente noua vetus interit aetas.
His alitur curis, nec abeſt ſollertia maior:
Quippe etiam, audaci ſinuoſa volumina viſu
Omnia condentis, promentis & omnia caeli
Explicat, inuentis gaudens, magnamque per artem
Sublimes aperire vias, & limina certat.
Iamque ſuis ſtellas formis ac viribus omnes,
Et celerem imparibus curſum notat interuallis,
Quaeque ſuum aligeri virtus contorqueat axem,
Quae faciat luci aut nocti longamve breuemve
Cauſa moram, ſeu bruma cadat, ſeu ferueat aeſtas:
Vnde vigor ventis, quo concita ſaepe tumultu
Terra tremat, quatiatque domos, & terreat vrbes:
Cur toties Sol deficiat, cur Luna laboret,
Nec migret iratum dictis de ſedibus aequor,
Nec fuſis decreſcat aquis, creſcatque receptis.
Nec minus vt coeant caecae per inania nubes,
Et caelum inuoluant tenebris, hiememque minentur,
Et ſciſſae liquidum demittant protinus imbrem:
Mugiat vt tonitru domus ardua, & acta minaci
Agmine diſſiliat, ruptis vt nubibus ignis
Emicet, & micto fulgore & murmure fulmen
Terreat exploſum, terrae ſola, caerula ponti.
Quod ſi forte iuuat propius concedere, & illa
Quae doctis ſubiecta oculis ſpectacula pandunt
Grata magis, miranda minus, quia ſaepe videntur,
Cernere, & occultas venari indagine vires,
Nimirum,

Nimirum, & naturam hominum, prolemq. ferarum,
Et pecudũ, & volucrũ, atq. vna genus omne natantũ,
Cur ferrum alliciat magnes, caua vallibus echo
Cur reſonans parua fruſtretur imagine verbi,
Inſpicere: aut etiam ſiluis natalibus arbos
Fertilis, an ſponte, an poſito de ſemine creſcat,
Quaerere: & ingenium fruticum, ſegetisque feracis,
Frugis, & herbarum, & quaecumque arbuſta virenti
Se tollunt fronde, & fetus in tempore fundunt:
In tenui labor, at tenui de germine ſuauis
Exprimitur ſuccus. quis enim non gaudeat inter
Singula, quae cupidae praepandunt lumina menti?
Adde tot impoſitas varijs regionibus vrbes,
Et varios hominum mores, lucosque, lacusque,
Fluminaque, & fontes, montes, vallesque, viasque,
Tum ſiqua eſt fluitans, ſiqua eſt circumflua ponto
Inſula, & egregiam quiſquis felicibus vndis
Tellurem fluuius locupletat, & irrigat auro:
Quae pellucentes lapides, gemmasque nitentes
Ripa alat, & varijs depingat littora conchis.
Haec agitanti homini, quam vera & certa volup tas?
Fructum animi vt nihil imminuit, pacemve quietam?
Sed quis erit finis? viden' vt ſeſe erigat vltro
Supra hominem, illuſtrans mortalis commoda vitae?
Quid ſit enim virtus, & quid ſapientia poſsit,
Quam ſaepe & pulchrum turpi, & contendat honeſto
Vtile, perſpicere, atque animam vitijsque carentem,
Et curis vacuam, & ſanctis virtutibus aptam,
Exemplar reliquis imitandum ponere, quanta
Dignum laude putas? quanta, traducere vitam

Caelitibus dignam in terris, certamque tenere,
Qua te, qua natos, qua vrbem ratione gubernes?
Quid cum etiam gaudet victuris credere chartis
Quae didicit, multo contingens cuncta lepore,
Seu ſermonem habeat, ſeu condat nobile carmen?
Illum equidem, mihi ſi liceat depromere verbis
Senſa animi, quando tantis excellere rebus
Ipſe Deus voluit, diuina ſtirpe creatum,
Et decus humanae gentis demirer, & optem,
Veſtra meo niſi diſſideat ſententia voto,
Vt ſimilem ſtudijs vitam, factisque ſequamur.
Plurima de genere hoc fama maiora fideque
Commemorem, ſi fas: ſed adhuc & plura ſuperſunt:
Et ſatis haec, ne detineam vos carmine multo.
Sed quo? quo rapior ſublimis? limen Olympi
Quis reſerat? iuuat intrare, & penetrare beatos
Talia cum cupida viſendi mente receſſus:
Quamquam oculos hebetat mortales humida circum
Fuſa mihi nubes, caligantesque tenebrae.
En domus, en video, ſuperum domus enitet ingens,
Splendidior vitro, fuluo radiata metallo,
Quam circum murus ſtellatus iaſpide cingit.
Ille videns, triplex vno qui lumine fulgor
Seſe aperit, late exundans, inque omnia lucem
Diſpenſans, totum irriguis ſplendoribus orbem
Conſerit, & fetum vitali recreat aura.
Ter ternas circum videas adſtare cohortes
Aligerum alterno modulantes carmine cantu,
Attonita qui mente canunt, laudantque parentem,
Atque Dei nutum, maieſtatemque verendam
Obſeruant

Obſeruant alacres ſtudijs, quorum agmina quot ſunt,
Sunt habitus totidem diuerſi, veſtis, & oris.
Has ſuper egregio magnum decus enitet ore,
Et vir conſpicuo cingens diademate frontem,
Prima tenet, iuxtaque comes pulcherrima virgo,
Vnde Deus quondam mortales induit artus.
Hic vir, hic eſt, ſibi quem promiſſum ſaepius, orbis
Audijt, & vidit perfoſſum vulnere plantas,
Atque manus ſaeua & traiectum cuſpide pectus,
Illud amore auidum, cuius praediuite vena
Exilit effuſis ſeptenis fontibus, vnda
Natiuam maculamque luens, & crimina tollens.
Hos fontes, Deus, hos fontes, hos repperit vſus
Ipſe Deus, fluuio vt poſſet delere ſalubri
Immundam illuuiem, veteremque inducere cultum
Gens hominum turpi iamdudum obnoxia morbo.
Ipſe etenim (quis enim aeterno modus adſit amori?
Quid non fecit amans?) curam huc traduxerat omnẽ,
Redderet vt vitam, mortem vt mortalibus idem
Auferret, ſuperaque humiles in ſede locaret.
Nempe tulit mortem, quam reppulit: occidit ipſe,
Dum cadit, & caelum, & terras aucturus, & aras,
Caelum animis, terras aris, & ritibus aras.
Salue vera Dei proles, Deus, ipſe, ſaluſque
Humani generis, tanton' dignaris honore
Me famulum? tua ne haec olim per vulnera ſeruor?
Vulnera quae Solem radijs & lumine vincunt,
Quae magnus meminiſſe dolor, ſpectaſſe voluptas:
O, liceat nobis, ſenio cum moenia mundi
Expugnata dabunt labem, ſeramque ruinam,
Omnibus

Omnibus & iuſte meritorum praemia reddes,
Prendere quam caeli cupientibus annuis arcem:
Hic vbi in aeternum ſecura pace fruamur.
O fortunatos, haec quorum pectora cura
Vna coquit, ſi cura tamen dicenda voluptas,
Tanta eſt, vt libeat naturam quaerere rerum,
Quas caelum tenet amplexu, tellusque recondit:
Qui pia ſolicite venerantes numina, mentem
Moribus, & rectis linguam ſermonibus ornant.
His veteres vitam ſtudijs coluere parentes,
Qui tantum e tenebris potuere extollere lumen,
Ad quorum exemplar cupide nos fingimus omnes.
Ergo agite, o iuuenes, ſi nobis otia pulchra,
Quae placidam nullo perturbent turbine vitam,
Non animus deſes, nec turpis inertia cordi:
(Hoc pietas petit, hoc ſuperis addicta voluntas)
Diſcendi ſtudio, & verae virtutis amore,
Qua patres poſuere pedem, quibus atria caeli
Sancta patent, aequis animis, non paſſibus aequis,
Caelum aſpectantes, veſtigia tuta ſequamur.

DE

DE. ORIGINE RHETORICAE EX. PROTAGORA PLATONIS

ANNVA conuerſis bis ſeptem anfractibus orbis
Cura redit, iuuenes, veterum quæ dicta virorum,
Ignea qui celeris vibrarunt fulmina linguae,
Rhetoricaeque memor praecepta remetior artis.
Quare agite, & mecum noſtrarum exordia rerum
Suſceptique operis laudem celebrate fauentes.
Rhetorices antiqua mihi terreſtris origo
Carmen erit. Tu Chriſte faue: tu carminis auctor,
Dexter ades, quamquam hic Graiae veſtigia gentis
Ingrediar, doctosque dolos, & ludicra fetu
Plena graui, & veros falſa ſub imagine ſenſus,
Ceu rigidis ſubter folijs, & cortice duro
Saepe latent dulces ſeruantes ſemina fructus.
Vos autem, quibus egregio ſub pectore virtus
Excubat, humanumque animum, mentemq. benignam
Praebet, & his placidas dictis aduertitis aures,

Eſte

Eſte mihi faciles, ſit fas mihi munere veſtro
Priſcorum commenta virum memorare canendo:
Et veniam, ſi ficta feret, concedite vati.
Ante hominum pecudumq. genus, pictasq. volucres,
Et quae muta ſecant liquidos animantia fluctus:
Omnis erat rerum ſpecies confuſa, neque vllus
Orbis honor, maria, & tellus, nec lucidus aether
Seminibus permiſta ſuis ſine lege coibant
Cuncta coërcebat tenebroſum corpora corpus.
Sed ſimul in proprias coeperunt ſingula ſedes
Muneribus diſcreta ſuis ex ordine labi,
Et tener ab rerum diſcrimine creſcere mundus.
Tum primum in medio conſedit pondere tellus
Nixa graui, hanc circum irriguo ſe gurgite pontus
Intulit, & ſuper incubuit ſpirabilis aër,
Omniaque extento caelum comprendit amictu.
Nec minus aurato diſtingui coepta decore
Sidera, quae toto radiant pulcherrima Olympo,
Seu tremulo rutilant, ſeu fixo lumine fulgent.
Terra tulit grauidas vllo ſine ſemine fruges,
Terra parens rerum, & magni velut emula caeli
Induere in varios ſtuduit ſua ſidera flores.
Haec propter, roſa ſanguineo, vacinia fuſco,
Lilia candenti, flauo velatur amictu
Caltha, crocus rutilo, violae ferrugine, & auro
Et niue fulgentes, alios variare colores
Atque alios tendunt: haec pallet, purpurat oſtro
Illa magis, gemmam illa refert, ſtellamq. micantem,
Haec virides rubro praetexit ſanguine guttas,
Et matutinis collucent roribus herbae.

Talis erat mundi facies: animantia deerant
Interea, quorum obſequijs aſſueſceret orbis:
Vt domus in domini varios deſcribitur vſus.
Iamque dies praefixa aderat, qua numina diuum,
Qualia finxerunt ludentes monſtra Poëtae,
Cetera quae deerant e terrae glutine & igni
Formandi ſtudio, ſedem venere ſub vnam,
Qua latuere cauae nigra ſub rupe cauernae.
Nec mora: multiplices ſpecies, volucrumq. cateruas
Squamigerumque pecus pelago, formasq. animantum
Effingunt, hominumque genus. ſed ſpiritus illis
Tardus, & infirmae vix noto in corpore vires.
Roboris expertem vitam ſine luce trahebant.
Nec talem duxere diu. Producere tandem
Dij ſtatuunt, cautoque vocant cũ fratre Epimetheum.
Imponunt his partem oneris, ſociosque laborum
Eſſe iubent, horum arbitrio permittere viſum
Munera mortales olim tribuenda per omnes,
Seu volucres, piſcesve forent, hominesve, feraeve.
Dicitur has partes fratri ceſſiſſe Prometheus,
Scilicet eximiam ſperanti hoc munere laudem.
Ille autem velut imprudens ſi forte magiſter
Sumat opus, primo vires artemque profundit
Inſcius, haud ſeſe ventura in tempora ſeruans:
Talis & ipſe Deum in pecudes largiſſima dona
Omnia diſpenſat male prodigus, immemor vna
Humani generis, cui pars non vlla relicta eſt.
Ergo alijs celeres infirmo corpore motus
Attribuit, quibus & ventos praeuertere poſſint,
Et volitare leui tranantes aëra penna.

Sunt

Sunt,quibus ingentes generoſo in pectore vires
Inſeruit, tamen vt tarda ſe mole ferentes
Inuideant leuitatem alijs, ſed robore praeſtent.
Idem etiam haec operit rigidis animalia villis,
Fortibus haec corijs, haec durae cortice teſtae,
Haec ſquama ſquallere iubet, pars corpora pluma
Suſpendunt volucri, ſunt illis mollia lanae
Vellera, partem autem pinnis ſetisve rigeſcunt.
Quin etiam facile vt vitam corpusque tueri
Eſſet, & aeternum ſpecies tranſmittere in aeuum,
Mutuaque aduerſus muniri proelia poſſent:
Cornibus his frontes, illis armauit obunco
Vngue pedes, his roſtra dedit: ſunt corpora turris
Ritu alijs, ſunt quae ſe oculis vigilantibus, & ſunt
Quae ſe aſtu, & quae ſe valeant ſeruare veneno:
Dentibus haec, rituque, fero ſunt corpore tecta
Quaedam alia, & circum ſpinis ingentibus horrent,
Telorum in morem, excuſſo quae tergore iactant,
Non ſecus ac cornu neruo ſtridente ſagittam.
Adde quod & pecudum generi ſunt obuia cuique
Praeſidia, aut certe paruo quaerenda labore,
Seu victu indulgere iuuet, ſeu ponere feſſa
Membra ſolo, & placidam libeat captare quietem:
Lectum illis praebent inſtrata cubilia fronde,
Et nemoris dorſo molles iacuere per herbas,
Poma ferunt baccaeque cibum, radicibus illae
Veſcuntur durae vulſis è viſcere terrae:
Hae laniant, manduntque alias, magnaeque ſua vi
Funeſta in pecudes exercent regna minores.
Quare etiam effectũ ſaeuũ vt genus omne animãtũ,

Quae praeda ſatiare famem, quae viuere rapto,
Quaeque ſitim gaudent hauſtu ſedare cruoris,
Haud plures alat, & longo poſt tempore fetum
Concipiat tandem, & ſeras vix fundat in auras.
At contra infelix venantum praeda, ferarum
Mite pecus, grauido numeroſam corpore prolem
Sufficit, & facili deponit pignora niſu,
Non ita poſt multo patres auctura nepote.
Haec ſimul effundens pecudes exhauſit in omnes
Iapeto natus, tandem ſe aſpexit, & omnes
Abſumptas vires ſero cognoſcit, & vnum
Eſſe hominem reliquum ſine re, ſine ſpe, ſine diuum
Munere. Quam ſera eſt imo ſapientia fundo?
Ingemuit, fratremque diu reſpexit iniqui
Spectatorem operis. Doluiſti caute Prometheu,
Quando hominem aſpexti. Turbatus conſtitit ipſe
Solus, inops, laedi facilis, nudatus, inermis,
Infelix, tantum lacrimas effundit, & vdis
Fletibus, ac teneris vagitibus aethera complet.
His inopem ſeſe, his miſerum, nec iure relictum
Donorum expertem quaeritur, parteſque repoſcit
Ipſe ſuas: fruſtra: proprios animantia in vſus
Omnia rettulerant, nec vero audire rogantem
Eq ſuis rebus decedere poſſe negabant.
Ilicet horribili trepidauit terra tumultu,
Saeuit atrox bellum, vi cuncta & fraude geruntur:
Omnia conſerta miſcentur corpora pugna.
Sic crepitans vbi feruet hiems, ventique profundum
Foedere reſciſſo facto velut agmine vexant,
Et Notus in Boreã, & Zephyrus bacchatur in Eurũ,

Continuo exultat pelagus, fractaeque procellae
Vndique tollunt ſe, & caelum tellusque remugit:
Omnis abeſt requies, pax omnis: nulla ſalutis
Nulla fugae ratio: cladeinque, necemque minantur
Omnia, nec miſeris tanto ſpes vlla periclo eſt.
Infandae o pugnae facies, o agmina mille
Tam promptis inſtructa armis volucrumq. ferarumq.
In miſerum glomerata hominē. Nempe audeat vnus
Imbellis, deſertus, inops, rerum omnium egenus
Pectore nudato tam forti obſiſtere turbae.
Pugnabant homines, ſed letum immane manebat.
Arma quidem non ſunt ipſis veſtesve repertae,
Nondum vllae certandi artes, non bellicus vſus,
Non gladios ſtrinxere manu, non aerea caſſis
Stat capiti, aut clypeus per mollia vincla lacerto
Inſeritur, nondum conſertis leuiter hamis
Lorica induitur: neſcit leuis haſta ruentum
In pugnam, volucri perrumpere limite turmas.
Non currus ſonipes, fera nec calcaria ſenſit,
Non equitem dorſo, non frenos ore recepit.
Sed neque fulmineo diſſultat machina bombo
Quaſſa fragore graui: vt ſtrepitus imitetur Olympi,
Dum tonat, & rutilo iaculatur ab aethere fulmen.
Pugnabant: ſed enim ſiluas, & concaua curſu
Antra petent profugi, penetrabit ſaxea tecta
Agmine praecipiti frendentum immane leonum
Horrida vis, ſtimulante fame, rapietque feretque
Corpora, & humano ſpargetur terra cruore,
Viuaque viuente condentur viſcera buſto.
Conſcendent viuas ne trabes, altasque cupreſſus?

Extemplo inſilient auium ſtrepitantibus alis
Agmina clangentum, letumque informe ferentum
Vnguibus, & diro lacerantum pectora roſtro.
Talia Pygmeae dicuntur proelia genti
Strymoniae mouiſſe grues, cum territa pubes
Corporis exigui, clangorem & roſtra volucrum
Vt fugeret, natali etiam de ſede profugit.
Terra autem non tuta domus. Pelagus ne peteſſent
Vi rapida? quis ſternat iter? fluctus ne tumentes
Temnere quis paret, & dubio ſe credere ponto?
Scilicet accedet valida qui ligna bipenni
Deuoluat, ſcindatque trabes, ignique ſequaces
Molliat, ac pice perfundat, tum robore texto
Veliuolum aedificet corpus, remiſque paratis
Iniĳciat noua tranſtra, ratemque impellat in aequor;
Quae ſimul vncta natet, celeri ſimul impete ventis,
Iniĳciat bellum, & campo procurrat aperto.
Atqui nauis abeſt, tamen & vada caerula nando
Tranſmittent, flatuque ſimul iactiſque lacertis
Pectore diſcindent pelagus, quaerentque per vndas
Effugium à terris. Quis nandi repperit artem?
Quis motis docuit manibus diſcludere marmor,
Cedat vt, & liquido ſuſtentet corpora fluctu?
Praeterea exterrent fremitus & murmura Ponti,
Et rapidi tot monſtra maris, crudelia cete,
Et Scyllae, & Priſtes, & bianti gutture Phocae
Ingenti latratu, & terrifico mugitu.
Quid faciant miſeri, deuotaque corpora morti,
Queis neque perfugiũ tellus neque praebeat aequor?
Muſſantes doleant ne omnes, pereantque ſilentes,

Seque feris praedam velut, in viuaria clauſam
Eſſe ſinant, viuique ſuum deforme ſepulcrum
Horreſcant, vaſtum metuentes ſemper hiatum?
Non ita: non feret hoc praeſtanti corde Prometheus
Germano haud paulo ſapientior. euolat ille
Ad ſuperos, hominum veluti mandata referret,
Sponte ſua: neque enim talis ſapientia menti
Illorum eſt, tantae vt cladi reperire leuamen
Poſſit, & hunc tandem curis imponere finem.
Ergo hominum indignos animo miſerante labores,
Non audax, caelo vt referat mortalibus ignem
Vt quondã, vt perhibent: nõ vſus fraude Prometheus
Luce palam, magnum & vultu teſtante dolorem,
Ad ſuperos legatus abit: rerumque parentem,
Qui mundi ſtatus, & ratio, qui caſus agat res,
Quae clades miſeranda homines, fortunaque merſit,
Edocet, & requiem pugnae, rebusque ſalutem
Poſtulat euerſis, ne diuum inſignis imago
In terris, hominum genus admirabile peſſum
Sic abeat, data praeda feris, monſtrisque marinis:
Munera ſeruentur ſuperum. Quae meta laborum?
Qui finis? ſemper ne hoſtilia circumſpectet
Agmina gens hominum imbellis? ſemper ne ferarum
Mugitus, ſtrepitusque pedum, fauceſque tremiſcet?
Quod niſi caelicolum ſeruet pater, atque hominũ rex
Ipſe ſuum quod finxit opus, ni conſulat vltro,
Intereat decus, & rerum aſpectabilis ordo.
O pater, o caeli, maris, o terraeque poteſtas,
Affer opem, ſi fas, poſcentibus: aſpice quantum
Diluuium inuoluens terras impune feratur:

Da dextram miſeris, caelo ſolatia mitte,
Ne pereant, proſit ſimiles caeleſtibus ortos.
Dixerat, & lacrimis maduerunt ora profuſis.
At pater omnipotens caſus miſeratus acerbos
Conſtitit, inque hominum defixit lumina rebus:
Nec tantum decet eſſe morae: demittit ab alto
Mercurium in terras, ac primum talia mandat.
I, celer, i, ſuccurre hominum opportune labori:
Et tecum ratione vna ac ſermone potentem,
Quam primam in nitida virtutum ſede piarum
Eſſe vides, cultu inſignem, viridemque iuuenta,
Duc age Rhetoricen: nihil eſt felicius illa,
Quod clades & damna leuet: dabit ipſa ſalutem
Humano generi, vt ſeſe defendere poſſit
Conſilio, & ſaeuas animantum eludere vires.
Non tamen ex aequo cunctis tribuenda, neque vnam
Quilibet in proprios vertet communiter vſus:
Sed ſi qui ingenio praeſtant, & moribus, atque
Mente vigent, celerique valent comprendere motu
Maieſtatem illam, ac reliquos formare docendo,
Fas illis dicendi artem concedere tantum.
Concilijs ſedet hoc caeleſtibus: haec mea mens eſt.
Iuppiter haec: nutuque omnem tremefecit Olympum.
At ſacra Rhetorice medijs in maenibus vrbis
Aetheriae longe ſublimi in ſede ſedebat
Veſtitu illuſtri, quem verſicolore lapillo
Flos auri conſertus obit, largumque nitorem
Euomit, & vario viſum ſplendore laceſſit:
Qualis Chaoniae torques gemmata columbae
Emicat, vt radijs aduerſo in Sole refulſit,

Nunc hos, nunc illos pluma referente colores:
Pulchra quidem forma, ſed cuius candida fucus
Pinxerat ora leuis, roſeum mentita decorem,
Dextraque depoſitos criſpauerat arte capillos.
Ipſa manu cornu praefert, inſigne beatum
Omnigenis auctumque bonis, opibusque refertum:
Diuitiae circum aſsiſtunt, & purpura & auro
Splendentes: ſociam ſe illis laetantibus addit
Gloria, quae quoniam caelo deſcendit ab alto,
Nunc quoque ſidereo vehitur ſuper aethera curru,
Et caelum affectans, nubes & inania temnit.
Nec minus & dicendi ardor, ſuadela, leposque,
Et circum volitant inſignes ora puellae
Agminibus crebris, has dicunt nomine laudes,
Hae ſacrum quacumque licet contingere corpus
Et dominam aſsiduo gaudent extollere cantu.
Ac veluti Tiberim circum, ſeptenaque Nilum
Oſtia pandentem, quem laeto in gramine pictor
Fecerit excelſum cornu, glaucoque ſedentem,
Dum lymphas diffundit equo, vario ordine riui
Infantum in ſpeciem ludunt, nunc brachia patris
Percurrunt, nunc illi humeros, nunc horrida menta,
Caeruleos fert ipſe oculos, fluuiosque miniſtrat,
Et ripa viridante ingens extollitur arbos:
Talis erat circa dominam chorus: aſpicit ipſa
Mercurium patris imperio parere parata,
Et ſimul in terram lapſu leuiore feruntur.
Sanguinis en fluuios, en campos oſsibus albos,
Cerne ſoror, quam pugna impar, quae mortis imago?
Aſpicis hinc tigres, illinc, germana, leones

Corporibus miſerorum haerentes, ora cruore
Aſperſos, trepidi ecce rubent ſub dentibus artus.
Horruit aſpectu virgo, & conterrita mente,
Non verbis hoc tempus, ait, properanda ſalus eſt.
Haud mora. Mercurius coetu ſelegit ab omni
Excelſa qui mente viros acieque valerent
Ingenij, hos placide expolijt, taciteque dolauit
Rhetorice ſenſim inſinuans, mentisque tenebras
Diſpulit, ingenium erudijt, pectusque repleuit,
Et multa inſignes dicendi reddidit arte.
His autem ſimul vt noua lux diffulſit, & alta
Plurima mente agitant, & larga eſt copia fandi.
Quoque hominum res ſumma loco, qua clade pericli.
Cum gemitu aſpexere, feris loca tuta relictis
Corripiunt, aliosque vocant. Cyllenius ipſe
Adiuuat, ipſe feras duris congreſſibus arcet.
Conuenere omnes, miſerum ac miſerabile vulgus.
Maxima pars operit trepidantibus vlcera palmis.
Hi pedibus trunci, hi manibus, pars corpore adeſo
Confecti macie vultus, & pallida longa
Ora fame. exanimes dicas ſpirare ſepulcris
Turpibus effeſſos, & viua cadauera ferri.
Pauci adeo integras habuere in corpore vires.
Et ſubito numero ex omni, lingua optimus vnus
Qui fuit, & voce egregia, geſtuque decoro
Vt tumulum aſcendit, quem circum plurima vallis
Tenditur, & nulla ramorum conditur vmbra,
Conſtitit, vt poſſent oculi ſpectare loquentem,
Et ſonus ad cupidas ferretur commodus aures.
Et ſimul vt maerens huc lumina vertit & illuc,

Communem indignans ſortem, viſaeque ruinae
Illacrimans, non ille humili ratione loquendi,
Blanda nec ingreſſus per rerum exordia: vicit
Omnem artem dolor, & luctu ſpectacula mentem
Confudere grauem. Nam quae medicina malorum,
O miſeri, qui finis erit, requiesque labori?
Quis tantis modus aerumnis, ſemper ne ferarum
Ingluuiem paſcemus, ait, lacerandaque ſemper
Corpora per nemorum latebras ſiluasque trahemus?
Perque ipſas nemorum latebras, ſiluasque tremētes?
Heu pudor, heu numquam fortes, heu ſemper inertes,
O hominum genus infelix, o praeda minorum.
Quin nos reſpicimus tandem, miſerandaque laeto
Eripimus membra, atque aliquam traducere vitam
Non ſoli, vt ſoliti, ac diſperſi montibus altis,
Viribus at iunctis connixi, & corpore toto
Quaerimus vnanimes? miſeris audacia creſcet,
Vim dabit ingenium: certa in ſtatione manendum,
Omnibus eſſe reor. Statio ramalibus eſto
Firmanda, & lapidum nexu: non cernitis, vt ſe
Defendant volucres, nidos vt fingere diſcant
Rupe ſub excelſa, paleis per mutua nexis?
Turpe homines auibus concedere. Non erit vmquam
Vt gelidas vitare niues, vt grandinis ictus,
Vt brumae, vt Soli, vt liceat decedere nocti,
Atque vmbram ſaltem in vita guſtare quietis,
Funeribus nullis ac fletibus interruptae?
Interea tacitus triſti de pectore cunctis
Luctus iit, vitaeque piget, taedetque malorum.
Non tali auxilio, non hac ratione medendum

Aerumnis,

Aerumnis: opus eſt animis, eſt viribus vſus.
En mihi noua lux oritur, lux magna ſereno
Enituit caelo, penitusque illapſa videnti eſt:
Quiſquis es, o noſtris qui ardorem mentibus addis,
Te ſequimur, tu rebus ades, tu coepta ſecundes.
O vos o ſocij, quae ſunt accommoda rebus
Efficite, & meritas caelo perſoluite grates.
Haec ſimul effatus, moliri frondea tecta
Agreſti ſtipula, iuncoque vluaque paluſtri,
Arboribusque ſolo deiectis, coepit, & idem
Hortatur ſocios: paruis conſurgere primum
Culminibus nulla arte caſae, virgultaque circum
Corpora cum folijs attexi, robore duro
Arceri pecudes: dictis parere magiſtri
Vulgus iners, regit ille animos, & numina diuum
Eſſe docet, rutilo vt conſcindi fulgure nubes
Murmure terrifico e caelo ſenſere minaci:
Mox etiam raris coiere mapalia villis,
Atque humiles coepere domus ac tecta parari,
Et pluuio commiſta luto, glebaque tenaci,
Et ſolido e ſaxo. paulatim compita cingi
Sepibus, & vallo, & foſſa, dein aggere terrae:
Donec longa dies, & rerum plurimus vſus
Vt reperit meditando artes, & creſcit eundo,
Atque hominum exacuit mentes interprete lingua,
Oppida munire, aeternas indicere leges
Edocuit, tutaque omnes in ſede locauit,
Et tandem impoſuit ſummis faſtigia rebus.
Sic tenuis plerumque imo nec turbidus amnis
Gemmea conſpicuo gradiens per gramina riuo

Labitur, vt pedibus poſſit tranſmittere virgo,
Vix vdam admirans traiecto gurgite plantam:
Idem autem, ſimul atque ruens de rupibus altis
Ruptis aggeribus montano flumine torrens
Auctus aquis, niuibusque nouo ſub vere volutis
Praecipitat ſaxa, & valles, camposque natantes,
Euulſasque trahens ſiluas, & tecta domorum,
Ingenti fremitu attonitum ſe euoluit in aequor:
Scilicet, & metuens fluuio ne forte rapaci
Cedere, & ignotas cogatur quaerere terras:
Sic tonat abruptus, ſic feruet ſpumeus, ac ſi
Proelia, non pelago commercia portet aquarum.
Haud aliter paruo primum de ſemine creuit
Rhetoricae indicijs rerum ſpeciesque decusque,
Atque homini in pecudes ceſſerunt regna ferasque:
Pax vnde, & requies, & tutis gaudia terris.
Gratia magna tibi, per quam ſunt omnia nobis,
Aurea Rhetorice: tu pacis pulchra creatrix:
Tu leges, moresque pios, tu moenia condis:
Tu vitam e tenebris, tempeſtatumque procellis
Suſcipis in portu, claraque in luce locandam.
Salue magna parens virtutum, magna virorum
Praeſtantum ingenio, & rerum felicibus auſis
Rhetorice: tua namque ſequens veſtigia, ſollers
Mens hominũ ad magnos ſemper properauit honores,
Diuitijsque olim, & donis ingentibus aucta.
Te ſequor humanae gentis decus, aethere nobis
Conceſſu delata Dei. Tua maxima pergo
Munera Romanae numquam interitura iuuentae
Tradere. Te nobis ſociamque ducemque benignam

Adde

Adde precor. Tu Chriſte magis, tu conditor orbis
Magne iuua. Tu clara ſoles praepandere menti
Lumina. Tu verbum. Tu das infantibus almam
Scire poteſtatem dicendi, & pectora formas.
Et quiſquis labor hic, vni tibi militat omnis.

FRANCISCVS BENCIVS E. SOCIETATE. IESV

P. JO. ANTONIO Valtrino S. D.

SALVVM te & incolumem Neapolim veniſſe gaudeo: atque iſtam tibi, ſiue loci, ſiue caeli mutationem, futuram ſpero & animo iucundam, & corpori ſalutarem. Nam hic quidem apud nos mors omnino dominatur: quae etſi ipſa timenda non eſt, tam frequenti tamen mortuorum ſpectaculo non timeri ſine timore aliquo non poteſt. Non longe abierimus. Heri Ioachimo Pichelio iuſta perſoluimus, & terram terrae reddidimus, non ſine ſenſu doloris. Fateor tamen id quod eſt, indolui magis, atque etiam ingemui, in morte cariſſimi fratris noſtri Pauli Stellae, quem nudius ſextus extulimus. Scis

quid de eo collocuti ſimus, ſuperioribus an diebus an menſibus, cum eius laudaremus non modo pietatem ac religionem, ſed etiam ſtudium & ingenium. & ſane eum ita amaui viuum, vt mortuus magno me dolore percuſſerit. Semel mihi licuit ad eum adire aegrotantem: erat enim in Seminario Romano, vbi etiam vixit. Illi autem ita gratus fuit atque acceptus aduentus meus, vt non minimam dederit laetitiae ſignificationem. Ita magno ac libenti animo & cogitabat & loquebatur de migratione, vt iam tunc appareret illum eius exceſſum, nō miſericordia, ſed beneuolentia proſequendum eſſe. cum ab eo diſcederem, cōplexus eſt magiſtrum ſuum, vt ille dicebat, amantiſſime. rogauit, vt ſibi, ſi minus fortaſſe diligens fuiſſet ac vellem, ignoſcerem. Ego ferreus, tenui lacrimas, quae nunc intempeſtiue erumpunt. Addita eſt quaedam dignitas ori morientis. ita ex animi voluptate ac laetitia redundauit aliquid in corpus. Ferunt viſam ei, paulo antequam obdormiſceret, ſpeciem ſan-

ctae

ctae illius Catharinae Senenſis, quam praecipue venerabatur: atque hoc quidem, quod eſt magis admirabile, in eiuſdem virginis peruigilio. Mortuus eſt enim ſabbato, eo ferme tempore, quo mihi in ſchola, ex Virgilio, quem certis explico diebus, nata eſt diſputatio de ijs ſtellis, quas Graeci cometas, noſtri crinitas vocant, & magnarum fuiſſe legimus praenuntias calamitatũ. Narro tibi. vbi de eius interitu audiui, opinione omnium maiorem cepi dolorem, a quo quaſi aberrationem quaerens ſcripſi carmen quoddam, quod die Lunae dixi auditoribus meis. Placuit tamquam recens ſcriptio, ac minus expectata. Mitto ad te, non quo ſperem tibi probatum iri opus, in quo nihil laudes praeter voluntatem, vno praeſertim die confectum: ſed vt dolor, quem ex eo nuntio tu pariter maximum capies, hac fortaſſe lectione leniatur. Quod ſi illud addideris, vt, ſi tibi videatur, plures facias doloris mei aut potius ineptiarum participes, non erit id mihi tam mea cauſa gratum, quam vt

cognoſcant omnes, Stellam noſtrum propter egregiam quamdam indolem & virtutis & ingenij, non ſolum dignum qui a nobis, ſed etiam qui ab omnibus, qui de eo aliquid inaudiſſent, amaretur ac diligeretur, fuiſſe. Vale. v. Kal. Maias CIↃ IↃ LXXXIV.

EPICEDION IN. PAVLVM STELLAM

*M*EN *probibes lugere dolor, dolor improbe, quid me*
Flere iubes, & flere vetas? Tumefacta reſident
Vlcera, & ex oculis vndabit viuidus ardor,
Qui mentem coquit, & carpit. Quid vincla pudoris
Obijcis, & fruſtra tentantem exire coërces
In gemitum, & vero teſtari pectora vultu?
Fruſtra ignis tegitur, ſenſim ſe exuſcitat ille,
Caſtigatque moras, tantoque valentior exit,
Quo magis obicibus ruptis ſeſe extulit, atque
Clauſtra indignatus, patefecit flumine campos.
Scilicet extinctus STELLA eſt, mihi lumē ademptū.
Dumque miſer iacto mutantem regna cometen,
Ac portendentem gemitus mortalibus aegris,
Exuor heu regno: regnum mihi Paule fuiſti.
Et vocor ad gemitus. Quod ſi mortalia corda
Tangit adhuc pietas, noſtri miſereſcitis, Heu me
Diſſimulare dolor, pudor eſt aperire: ſed abſit,

Hinc pudor, excipiam maerenti corde dolorem,
Quem tamen effundam, ſi qua eſt via: fluctuat ille,
Fluctuat, atque imo rumpuntur carcere flammae.
Eloquar incompte, comptus dolor abijcit. ecquis
Ornatum ferat in lacrimis? dolor anxifer idem
Et lucem fugit, & tenebras: quantumque videri
Se cupit, ornari metuit. timor aequus vtrimque eſt.
Et mihi vix vox ipſa viam ſibi repperit: & vix
Fundere conanti datur illaudabile carmen.
Coepta dolor prohibet, mens vrget damna tacendi
Impatiens: gliſcit non attrectabile vulnus,
Nec medicas vult ferre manus, plagamq. recentem
Aſperat: haec nullam membris dat ſaeua quietem.
Haec ego, ſi tecum, tu ſi ſolator adeſſes,
Aequo animo ferrem: tu ſed mihi cauſa doloris,
Nec ſolator ades: tu me hac caligine mergis
STELLA extinctę: licet tu non extingueris: auges
(Hoc pietas, hoc caſta fides, hoc integra ſuadet
Relligio, hoc mores digni caeleſtibus) auges
Caeleſtum numerum, & maiori luce refulges:
Sub pedibusque vides ſtellas, & deſpicis orbem,
Forſitan & noſtros rides laetiſſime luctus.
Excidere e caelo Sol viſus: cauſa dolendi
Illa mihi: ceſſitque omnis de corde voluptas.
Vidi ego te morti, dulcis mihi PAVLE, propinquũ:
Inieci ſimulans ſpem vitae: certus eundi
Oblatam tibi tu vultu meliore recuſas
Spem vitae, & caelum, caelum, clamore ſalutas.
Hic ego quid facerem? vidi haec, & territus hauſi,
Atque premens altum maerenti corde dolorem

Diſſimulans mandata dabam. Diſiungimur. At tu
Vadentem amplexus, veniam petis. O ego durus,
Abſtinui lacrimis, voci luctuque peperci.
At nunc me tandem deſertum conqueror: & quam,
Si propria, heu, mihi lux fuerat, lux illa decusque
Gymnaſij, poteram fingi dicique beatus,
Nunc tandem inuitus fateor: numquam excidet ille
Addiſcēdi amor, & ſtudiū, quo PAVLE flagrabas,
Atque facem ſocijs manifeſta in luce ferebas:
Seu tibi Romani decus immortale paterque
Tullius eloquij, ſeu non imitabile carmen
Virgilij ante oculos eſſet: tu ponere ſuetus
PAVLE pedem, quocumque horum veſtigia ferrent.
Atque etiam, heu miſerū, memini te dicere: ſummus
Intentum te operi, quod nobis forte parabas,
Oppreſſit morbus. videor mihi ſaepe fuiſſe
Mortis cauſa tuae. ah potius mihi terra dehiſcat.
Pro quo etiam optaſſem, ſi fas, effundere vitam.
Quam tibi, de noſtris, quosquos mihi demeret annos,
Appoſuiſſe Deum cuperem. Tua dignior aetas
Vita erat. Heu raperis primaeuo in tempore vitae:
Et vere in medio decuſſo flore, fefellit,
Quae magnae in meſſis ſpem ſeſe erexerat, aeſtas.
Quo mentes caſu attonitae, damnoque repenti,
Vix factum penſare valent, lacrimasque reſorbent,
Quae, ſimul atque aberit terror, vaga flumina fundēt.
Hoc cōmune malum: proprium mihi. proxima primū
Tanguntur, tanguntque. Tibi ſed proximus ipſe,
Et mihi tu. Quid enim propius, quam cura docentis,
Diſcentisque labor? Veniam date magna loquenti,

O iuuenes. amor atque dolor miſcentur in vnum.
Magna quidem ingenij ſplendet lux veſtra, fugatis,
Et video & laetor, longe lateque tenebris:
Sed tamen, haud aliter vos inter STELLA refulſit,
STELLA meus, ſtellas inter quam Luna minores.
Iamque abit ex oculis, celereſque euadit in auras,
Quaque fugit, nequeunt oculi ſeruare ſequentum.
PAVLE fugis, nec te fugientem vidimus, heu heu
Nec laetum, vt perhibent, extrema aſpeximus hora:
Heu, nec clauſi oculos iucunda in morte natantes,
Laeta quibus mors inſolitos afflauit honores.
Defuimus ſummo officio: ſed noſtra rependunt
Munera caelicolae: nec abes ſanctiſsima virgo,
Qua ſe diues auis, & claro nomine iactat
SENA vetus, lux illa tuo praeceſſit honori.
O ego, ſi poſſem tibi caelo educere molem
Magnificam, celſas attollentemque columnas,
Quam non tempus edax, non inuidioſa vetuſtas
Dirueret, neque ventorum conuelleret ira,
Seruaretque tuum aeternum per ſaecula nomen:
Non equidē abnuerem, nec me labor iſte grauaret,
Aut operis terror: vireſque animoſque cupido
Adderet, & meritum ſolarer forte dolorem.
Adijcerem Pario inciſum breue marmore carmen.
Viſa modo in terris, in caelum STELLA receſsit.
Sed quoniam, tellus quicquid miratur & ambit,
Deſpicis: & praeſtare, animus quod poſtulat ingens,
Non opis eſt noſtrae: ne munere fungar inani,
Accipe, quod carmen tibi fundo flebile. Munus
Exiguum, at magni monumentum & pignus amoris.

DE ALMA DOMO LAVRETANA

CARMEN

TE nunc, alma Domus, Piceni in littoris ora,
Aduectam Illyricis freta per mirantia terris,
Quam colimus toto votiua ex orbe ferentes
Munera, carminibus celebrem. Tu maxima Praeſes
Dia parens, tu vati affla, tu dirige euntem,
Dum dubium praetentat iter, Galilaeiaque arua,
Resque humili parat ingentes euoluere verſu.
Iam Gabriel Mariam affatus, iam iuſſa parentis
Hauſerat aetherij, iuuenum comitante caterua
Caelicolum: anguſto referens cum limine greſſum
Subſtitit, ac tales effudit pectore voces:
Salue ſancta domus, ſalue o domus aemula caelo,
Quae capis, & claudis, quem totus non capit orbis,
Nec potuit clauſiſſe polus: domus aurea ſalue;
Vnde ſalus hominum, ſuperumq. afflantur honores;
Tu ne Dei hoſpitium, caeli terraeque potentis?
Tu ne Deum ſocias homini? tu fortia ſancis
Foedera? tu rerum domino cariſſima nectis
Vincula, quae numquam veniens diſſoluerit aetas?
O ſemper memoranda, Deus qua ludet in aula

Paruulus, & teneris ponet veſtigia plantis:
Quantarum vel teſtis eris, vel conſcia rerum,
Cum gremio natum accipiet laetiſsima virgo,
Et noſcet venerata Deum, figetque viciſsim
Oſcula, & aeterni figetur vulnere amoris.
Cum Deus appellans titubanti voce parentem
In dulces ruet amplexus, riſuque benigno
Non ſemel implebit lacrimantis gaudia matris.
Verum vbi paulatim creſcens adoleuerit aetas,
Et poterit certas audire & reddere voces
Conatu meliore puer, quot quantaque diſces
Colloquia? o quali aſſidue ſermone fruentur
Filius, & genitrix? Quoties arcana recludet
Ille Patris? quoties matrem ventura docebit?
Audiet haec, & ſacra inter penetralia condet
Componetque libens, quae mox depromere poſſit,
Tempus vbi & rerum poſcet certiſsimus vſus?
Cetera quid memorem? An iuuenis cum vota ſuorum
Praeuenit obſequio, atque humilẽ ſe format ad artẽ?
An magis vt bis terna latet per luſtra, nec illam
Sol veluti obſcura radios caligine tectus
Extulit, aut paruam, denſa inter nubila, lucem?
Haec tibi nota vni fuerint, nec cognita caelo.
Dixerat. Aligerum interea de fratribus vnus,
Cui, mandante Deo, tellus Galilaea tuenda
Obtigerat, duplices tendens ad limina palmas
Suppliciter, tali Gabrielem eſt voce ſecutus.
O nimium dilecta Deo domus inclyta ſalue,
O curae pars magna meae: quam ſummus Olympum
Ipſe ſimul repetet rector, caſtiſſima mater
Incolet:

Incolet: & morum quoniam fideique magiſtra
Ipſa erit, hinc dubijs poſcent oracula rebus
Doctores hominum: diuini hic numinis aram
Conſtituent, ritusque ſacros: nec parua ſequetur
Gloria, te, multis labentibus ordine ſaeclis,
Viſendi ſtudio, patrijs e finibus olim
Ad tua Chriſticolas laetantes limina ituros.
Lambere quos terram, quos perreptare iuuabit
Innixos genibus, voluit qua ducere vitam
Omnipotens, & certa pedum veſtigia liquit.
Salue iterum atque iterũ domus o mea maxima cura.
Haec ait. at iuuenis contra, cui ceſſerat vni
Illyrici plaga ampla orbis, ſic incipit ore.
Aſt ego te, veneranda domus, poſt ſaecula dena
Ternaque, cum Syriam inuadet crudelibus armis
Hoſtis atrox, & caede fera & terrore coactam
Sub ſua iura adiget, victosque arcebit inique:
Ne ſanctum ſit praeda canum, ne perfida turba
Auſit opes ſuperum manibus temerare cruentis:
Tunc ego te, volet ipſe Deus, ſtipante corona
Aligerum, trans & montes, & caerula regna,
Sedibus e proprijs vulſam, ac fundamine priſco,
Illyridis noſtrae ſtatuam ſub vertice celſo,
Italiam contra, qua curuo in littore pontus
Aeſtuat Hadriacus, canisque allabitur vndis.
Qualia tunc populos contingent gaudia noſtros?
Dalmatiam, Iöniamq. omnem, Carnosque, Liburnosq.
Iſtrosque, & Venetos, Alpini & regna Timaui.
Teſtis Alexander ſacrorum antiſtes, acuti
Arida cui longum torrebat viſcera morbi

Vis

Vis grauis: & ſubito decedet corpore febris,
Accurretque, domum lacrimis veneratus obortis.
Teſtis Frangipanes, illam iuſtiſſimus oram
Qui patrio reget imperio. vos denique teſtes,
Qui Nazareth miſſi, certiſsima ſigna feretis,
Murorum ſpatia atque ſoli: quae ducta per omnem
Circuitum fidis monſtrabunt licia nodis.
O vtinam propria haec eſſent tibi dona futura
Illyris: attinges tantum. Tres ſcilicet annos,
Vix etiam ſeptem cernes ea munera menſes.
Sic Domino viſum. Finem hic dedit ore loquendi.
Namque huic, atque aliis, quorū dedit eſſe miniſtros,
Omnipotens, etiam ventura arcana retexit.
Haec inter, iuuenis roſeo pulcherrimus ore,
Cui diadema caput, torques gemmata coronat
Cui collum, & longe rutilanti fulgurat auro.
Sedulus hic cuſtos Picenae gentis, vbi Ancon
Nomina dat terrae, & tumidū procurrit in aequor,
Suſcipit, & laetus reliquis mirantibus infit.
O, quod te celebrem templum memorabile: & o quā
Te domina Italia appellem: quo laurea ſilua
Piceni mihi grata agri, te nomine dicam?
Cui domus haec dabitur cunctos ſeruanda per annos,
Auroque, & gemmis, doniſque ingentibus aucta?
Te ſuper aequoreas, elatam nubibus, vndas,
Nubibus aligerum circumque ſupraque canentum,
Ducentumque choros maribus per mutua nexis
Attonitum mare conſpiciet, iactaeque relinquet
Per medium ſigna alba viae. Te Recina tellus
Paſtorum indicio excipiet: te marmore cinget
Arte

Arte laborato, ponetque expreſſa figuris
Argumenta operis. Gens huc toto orbe profecta
Confluet, auxilium genitrix ſanctiſſima poſcens
Illa tuum, votique ſimul damnata. Manebunt
Suſpenſae tabulae, & pulchro donaria templo,
Laminaque, & titulus ſuſcepti muneris index.
Expulit hic ſtomacho delapſum virus. At illi
Albidus abſceſſit venter, quem languor aquoſum
Corrupti iecoris vitio, fluidoque liquore
Inflarat, nantem infundens per viſcera mortem.
Huic autem fera per correptas flamma medullas
Sacro igni, caeca vexabat pectora peſte:
Huc ſimul ire vouet, gliſcentem flamma furorem
Depoſuit, peſtisque retro conuerſa remiſit.
Vulnera non memorem ſanato in corpore, nec cor
Effuſum ex vtero ſua rurſum in clauſtra receptum.
Sic, velut extincto, redierunt munera lucis.
Hic leto grauiora putans tormenta, ſub acri
Iudice, confeſſus falſo (nam ſaepe coegit
Prodere res dolor infectas) dum vincula collo
Inſertat, te virgo orans, tum vincula fracta,
Et manicas penitus ruptas mirabitur inſons.
Iam quid & in bello, & pelago, ſeruata renarrem
Agmina, cum feruent haſtae, cum turbidus imber
Praecipitans ſine mora furit, nauisque dehiſcit
Alliſa ad ſcopulos? Tu non fruſtrare rogatus
Alma pios: excuſſa procul mors: reddita vita:
Et modus, & tempus, cernentur ſcripta per aeuum.
Sed quis finis erit, tua ſi miracula dicam
Lauretana Domus? Semper te, ſupplice adibit

Voce

Voce frequens populus: Tyrio te vellere cincta
Regia progenies: hic ſceptrum ponet & enſem
Caeſar: & auguſto ſubmittet vertice ſacram
Chriſtiadum mitram paſtor. Te barbarus, armis
Cuncta licet circum vaſtet, venerabitur hoſtis:
Vt tua vel medio ſit tuta in milite gaza.
Huc quiſquis veniet perfuſus membra timore,
Atque horrore comas, ſanctam procumbet ad aram,
Ad veterem pueri effigiem, quem mater in vlnis
Suſtentans cernere ſacris. Tum lignea contra
Orabit ſimulacra crucis. Vidiſſe caminum
Dulce erit anguſtum, paruique armaria tecti,
Hic vbi ſeruatur vilisque & pauca ſupellex.
Nec minus effinxiſſe animis, terſiſſeque labris
Arctius impreſſis terram, qua parte puella
Dia fuit, Gabriel, tu cum ſuprema pauenti,
Quae dederat Pater omnipotens, mandata tuliſti,
Caſtaque diuino tumuerunt viſcera partu.
Vix ea: cum Gabriel, multis comitantibus, aedem
Ante ſalutatam linquit. ſua quiſque reuiſit
Munia: pars maior ſuperas euaſit ad arces:
Terraque diſcluſam ſtupuit fulgeſcere lucem.

DE OBELISCO VATICANO

AD. SIXTVM. V. PONT. MAX.

QVAE vetus aërio contingens vertice nubes
Stat moles ſpectanda foro, qua clauiger aedem
Petrus habet, cineresque ſacros, aramque ſepulcri,
Non leuis hanc humili deductam e ſede poteſtas,
Vt validas oſtentet opes, artemque magiſtram,
Extulit, illuſtrique magis ſtatione locauit:
Sed pietas, ſed ſanctus amor, ſed iuſta cupido,
Vt veteres cultus, abolendaque numina diuum,
Impia quos olim fertur coluiſſe vetuſtas,
In melius conuerſa, animos ſuſpendere & ora
Viſa queant, tollantque Dei victricia ſigna:
Qui ſimul humanos artus, moribundaque membra
Victus amore ſuo caſta de virgine ſumpſit,
Inque crucem tulit efferri, ſimul omnia traxit
Ad ſeſe, & victor terrarum conſtitit orbis.
Ergo, & quam geminis, nec iuſta lege, dicatam
Caeſaribus quondam, perhibent inciſa vetuſtis
Saxa notis: Pater hanc SIXTVS tibi magne ſacrauit
Chriſte Pater, regumque apices, Aegyptia tellus
Quos tulit, aeterno domino perere coëgit,

Vt primum ſtatuit venerandi ad limina templi,
Atque ſalutiferum praefixit vertice ſignum:
Vnde nouum pia Roma decus miratur, & audet
Spernere praeteritum, venienti occurrere ſaeclo:
Vt nihil in terris maius Sol ſpectet Olympo.
Scilicet hanc ſuperum rector tibi maxime mentem
SIXTE dedit, terram ille tibi virtute tegendam
Detulit, ille tuum perfundit numine pectus.
Et miramur adhuc hominum felicia coepta,
Et laetos rerum euentus? Deus extitit auctor
Adiutorque operis: Chriſto duce, & auſpice Chriſto
Omnia reſpondent iuſtis ex ordine votis.
Cuncta poteſt ſincera Fides. Quis dicere inertem
Audeat? haec ſimul & monti, Te transfer in altum,
Dixerit, & iuſſus ſe mons iactarit in altum,
Transque mare attonitum trepidanti emerſerit vnda.
Illa ſimul voluit, iuſſit conſiſtere anhelos
Solis equos, ſteterunt illi, ſeu rector habenas
Cum trahit, inque gradu ſubſiſtere cogit eodem
Ora citatorum, ſi quando inflexit, equorum.
Illa etiam vt monuit, radios reuocauit ab orbe
Sol, quibus in gyrum labentia tempora monſtrat,
Et ceu pertexto ſubtegmine lina retexens,
Legit iter retro, vt refugam tranſcriberet vmbram.
Inde ſibi optatam feſſo Rex corpore vitam
Nouit adhuc alios plures ſupereſſe per annos,
Iniectamque manum mors indignata repreſſit.
Hac fretus legum interpres per deuia Moſes,
Perque feros odijs populos, maleſidaque regna,
Per mare perpeſſum ſiccis veſtigia plantis

Innumeras

Innumeras traxit gentes, longoque leuauit
Seruitio, ac ſaeua conſtrictas compede ſoluit:
Perque graues caſus, & mille pericula rerum,
Incolumes tandem optatam perduxit ad oram,
Hoſtibus extinctis, ſpolijsque ingentibus auctas.
Sed quid ego haec autem Fidei miracula narrem,
Atque die in medio doceam luceſcere Solem?
Certe ingens Fidei mirabitur argumentum
Quiſque tuae, ter ſancte ſenex, qui grandia ſaxi
Pondera, quod mare vix tenuit, vix horrida tellus
Praeſtitit eductum ſinuoſi e vertice montis,
Sublatumque alte fugit perterritus aër,
Imperijs erecta ſuis conſpexerit. vt crux
Alta triumphato terrarum impendeat orbi:
Proque viri foribus, cui credita ianua caeli,
Alliciat mirantum animos, Chriſtumque ſecutis
Indicet aetherij patefactum limen Olympi.

DE

DE. THOLO. S. PETRI IN. VATICANO

AD. VRBEM. ROMAM.

*R*OMA VIRVM, rerumque potens, quae culmina caelo
Fers propior, propiorque Erebo veſtigia figis,
Et manibus totum geminis complecteris orbem:
Aeterno impoſita in ſaxo, quod vincere numquam
Vis queat inferna, aut propria de ſede mouere:
Ipſa licet certent tot monſtra immania ſummis
Expugnare odijs, certentque euertere ab imo.
Vrbs vna ante alias fortunatiſſima, & vna
Ante alias vrbes ſuperum gratiſſima regi:
Cui quondam placitum, bello & victricibus armis
Per populos vt iura dares, nunc denique pulſis
Vt tenebris larga perfundens omnia luce,
Clara ſerenatis praepandas lumina terris.
Vrbs ſacrà, cui quamuis immenſi terminus aeui
Nullus erit, niſi cum mundum conſidere in ignes
Ipſe dabit genitor, corpusque immane reſolui:

Damna tamen; rerumque vices perpeſſa, periclis
E medijs erepta, graues ſarcire ruinas
Inſtiteras dudum, atque iterum ſpectanda referre
Quae ruerant monumenta patrum, cultusque nouare,
Quos hominum inuidia aut labens aboleuerat aetas.
Iam vultu meliore nite, iam concipe priſcis
Non modo temporibus ſpeciem, ac virtutibus aptam,
Sed magis inſignem viſu, quam priſtina quando
Saecula vix norunt, mirentur poſtera ſaecla,
Et veteri praeſentem artem contendere certent.
Aſpice quod MONTE ex ALTO tibi prodijt aſtrum,
Aſtrum FELICIS vitae index: nobilis aſtrum
Virginis eſſe putes, mores quae laeta vetuſtos
Iam redijſſe, hominum dignetur viſere coetus:
Praeq. ferens ſpicum & ramum frondentis oliuae
Illuſtres tibi deferri gratetur honores,
Qua ſe cumque tulit, gradiens qua lumina vertit.
Namque hic Caeſareos obeliſcos cedere vidit
CHRISTE tibi, ſacramq. Crucē praetendere ſummo
Vertice, & antiquis ornatum accedere templis.
Hic rectas patuiſſe vias, certoque petitum
Tramite, qui celſos longe ſinuatur in arcus,
Flumen aquae, celebrare vrbem montemq. Quirini,
Et qui Phaeacum nemori non inuidet hortus.
Hinc etiam atque illinc geminas extare columnas
Argumentum olim pugnae, iuſtique triumphi,
Quem manus extuderat caeſis animare figuris
Docta opus, & viuos de marmore ducere vultus:
Nunc veluti ſedem & fulcrum ſublime duorum,
Qui ſtudijs orbem paribus cepere regendum

Et PETRI ſimul & PAVLI. Stat praeſes vterque
Aureus, ac ſibi ſubiectas iam deſpicit arces,
Sub quibus inſonti fudit cum ſanguine vitam.
Has inter noua nunc tantum faſtigia tollit
VATICANVS apex, vbi rerum torquet habenas
Humani generis cuſtos, quantum ipſe ſacerdos
Mortales inter ſacrum caput extulit omnes.
Haec PETRVS procul, & curas ſub corde prementē
Regales SIXTVM aſpectat: regum ipſe potentum
SIXTVS opes laudesq. animis & ſumptibus aequat,
Tum vero affari, mentemque accendere dictis.
Sancte ſenex, quem tot lectis e patribus vnum
Iuſtitia & pietate grauem, rex aetheris alti
Ordine tam longo voluit ſuccedere nobis,
Sic meritum, CHRISTIQ. vices implere gerendo:
Dum niueas tutaris oues, dum laeta miniſtras
Pabula, nec partem auertunt furesve lupive.
Viue diu, nec te anguſti timor anxius aeui
Grandibus abducat coeptis. Tibi plaudit Olympus
Auctus caelitibus, te iudice. Te ſtupet aequor,
Inſtructam admirans Tiberina ad littora claſſem,
Altaq. iamdudum pacatis otia terris.
Nunc age, perge feris purgare immitibus orbem,
Inſtaurare vrbis perge immortalis honorem,
Quod facis: aeternū vt maneat tua fama per aeuum.
Ipſe ego tecum adero, & tandem tibi debita reddet
Munera, cum functum mortalis munere vitae
CHRISTVS in aetheriam victurum aſciuerit aulā.
Audijt haec SIXTVS, caelique incenſus amore,
Per benefacta viam ad ſuperos ſibi munit, & vrbem

Regifico

Regifico cultu, donisque ingentibus auget.
Tum, veluti ſatis haud eſſet, quod largus egenos
Hoſpitio victuque iuuat, quod triſte ferentes
Seruitium redimit pretio, quod publica laxat
Horrea, & aduectis ſolatur frugibus annum,
Auertitque famem, querulaeque impendia plebi:
Exquilias etiam ſedes, penetralia MATRIS
VIRGINIS, & caſti praeſepia conſcia partus,
Protinus adiecti decorat ſplendore ſacelli.
Nec procul hinc adeo, LATERANI limina tẽpli,
Sacra vbi Pontifices quondam feciſſe feruntur
Rite DEO, & populis pia iura dediſſe vocatis,
Non reficit tantum longo cedentia ſaeclo:
Ampliat, & ſolido partem de marmore ponit.
Sed quid ego indictum te VATICANE relinquam,
Mons ſacer, vnde homines iam non oracula poſcunt
Deuia, & errorem dubio velantia ſenſu,
Sed ſummi reſponſa PATRIS, qui legibus orbem
Temperat, & caeli diſpenſat munera terris?
Huc feror, huc tota rapior per ſingula mente,
Nec potis expleri viſu. Iuuat vſque reuerti,
Atque animũ, atq. oculos, noua per ſpectacula paſci.
Quid primum memorem? Auguſtis ex aedibus olim,
Fetibus ingenij dulcem captantibus auram
Non minimum excluſum ſpatij, quo muta per artem
Vt valeant monumenta loqui, teneantque docendo,
Impreſſis elementa notis noua littera ſignat?
An magis extructas felici munere ſedes,
Tecta Palatinis non concedentia priſcis,
Quae tibi conſulto ſcelerumque & fraudis Apollo

Extulit Auguſtus, ſimilesque effinxit in vſus?
Hic vbi magnorum veneranda volumina patrum,
Et ſapientum artes, doctrinarumque reperta,
Certa quibus ſenioque fides, & neſcia falli
Maieſtas reſidet vultu, condentur, vt omni
Tempore depromi quaerentum ad commoda poſſint.
Quiſquis vt externa conſultor venerit ora,
Et doctus meliorque abeat, cauſasque rogatus
Haec habeat dixiſſe ſatis, nec dicta retractet,
In VATICANO ſic eſt effata Sibylla.
Sed quis iam fremitus, quis iam fragor occupat aures
Non lõnge? clamor ne virum, ſtridor ne rotarum,
An confuſa ruunt ſimul omnia? ſaxa iacere
Hic video, hic ſtratos lateres, hic ruderum aceruos,
Caementa, hic bibulae mons eſt aggeſtus arenae:
Hanc contis ſubigunt iuuenes, gaudentque pracuſtae
Miſcentes liquidas vndas committere calci.
Aſpice diſpoſitos lapides iam parte polita,
Artificumque manus reliquo inſudare labori,
Quadrupedes in gyrum actos. Tòlluntur in altum
Marmora difficili niſu: indignantia credas
Praecipitemque adeo fruſtra minitantia caſum:
Sic ſtrepitant, nodoque gemunt grauiore reuincta.
Non ego non poſſim viſus attollere tantum,
Quantum ſurgit opus: laſſantur lumina, & ipſa
Nondum acie ſuperare queunt faſtigia templi.
Scilicet hoc PETRO extruitur mirabile templum,
Magnum, excelſum, ingens, caeli pars maxima curae:
Formam vnde aduectam terris oſtendit, vt aiunt,
ANGELVS, & tulit aetherias ſe rurſus ad oras.

Nec mora, Pontificum mens huc traducitur, aedem
Vt ſtatuant: ſed res alio conuertere magnum
Improuiſa animum cura grauiore coëgit.
Nimirum haec perfecti operis tibi gloria, SIXTE
Magne Pater, ſeruata tibi eſt. Tibi namque dedere
Caelicolae ad ſummos olim ſuccedere honores:
Vt quamquam metuenda aliјs, quamquã ardua tentes,
Atque humana graui muſſet perſaepe labore
Ars, alias memor ipſa ſui: tamen irrita numquam
Coepta, nec in vanos abeant ludibria ventos:
Et pia magnanimis aſpirent ſidera votis.
Te voluiſſe ſat eſt. Graue & immutabile SIXTI
Pondus ineſt verbis, & vocem facta ſequuntur.
Hinc, reliqua vt taceam, fieri quae poſſe negabant,
Facta, nec obſiſtat narranti inconditus ordo
Plurima: tu certe caeleſtis ianitor aulae
Conſpiceris maiore tholo: tibi conditur aedes
Sacra, tuis vicina aſtris, qua nulla per orbem
Pulchrior, & qua Sol oriens ſe emergit Eoo
Gurgite, & Heſperijs obiens qua mergitur vndis.
Vix alibi te digna domus. Tua gratia SIXTE:
Cuius ad impenſas animus moleſque ſuperbas
Augetur magis atque magis. Tu commoda poſtquam
Pacis in Italiam gaudentem principe tanto
Tuta refers, reddiſque ſuos cultoribus agros,
Hanc etiam ingenti verſas ſub pectore curam,
Vt PETRO quae coepta domus producitur annis
Pluribus, ad ſeros ſe perductura nepotes,
Sic tarda ſe mole mouet (praecepta reſiſtant
Ni tua ſancte Pater) tandem molimine magno

 Vndique

Paruulus, & teneris ponet veſtigia plantis:
Quantarum vel teſtis eris, vel conſcia rerum,
Cum gremio natum accipiet laetiſsima virgo,
Et noſcet venerata Deum, figetque viciſsim
Oſcula, & aeterni figetur vulnere amoris.
Cum Deus appellans titubanti voce parentem
In dulces ruet amplexus, riſuque benigno
Non ſemel implebit lacrimantis gaudia matris.
Verum vbi paulatim creſcens adoleuerit aetas,
Et poterit certas audire & reddere voces
Conatu meliore puer, quot quantaque diſces
Colloquia? o quali aſsidue ſermone fruentur
Filius, & genitrix? Quoties arcana recludet
Ille Patris? quoties matrem ventura docebit?
Audiet haec, & ſacra inter penetralia condet
Componetque libens, quae mox depromere poſsit,
Tempus vbi & rerum poſcet certiſsimus vſus?
Cetera quid memorem? An iuuenis cum vota ſuorum
Praeuenit obſequio, atque humilē ſe format ad artē?
An magis vt bis terna latet per luſtra, nec illam
Sol veluti obſcura radios caligine tectus
Extulit, aut paruam, denſa inter nubila, lucem?
Haec tibi nota vni fuerint, nec cognita caelo.
Dixerat. Aligerum interea de fratribus vnus,
Cui, mandante Deo, tellus Galilaea tuenda
Obtigerat, duplices tendens ad limina palmas
Suppliciter, tali Gabrielem eſt voce ſecutus.
O nimium dilecta Deo domus inclyta ſalue,
O curae pars magna meae: quam ſummus Olympum
Ipſe ſimul repetet rector, caſtiſsima mater

Incolet:

Incolet: & morum quoniam fideique magiſtra
Ipſa erit, hinc dubijs poſcent oracula rebus
Doctores hominum: diuini hic numinis aram
Conſtituent, ritusque ſacros: nec parua ſequetur
Gloria, te, multis labentibus ordine ſaeclis,
Viſendi ſtudio, patrijs e finibus olim
Ad tua Chriſticolas laetantes limina ituros.
Lambere quos terram, quos perreptare iuuabit
Innixos genibus, voluit qua ducere vitam
Omnipotens, & certa pedum veſtigia liquit.
Salue iterum atque iterũ domus o mea maxima cura.
Haec ait. at iuuenis contra, cui ceſſerat vni
Illyrici plaga ampla orbis, ſic incipit ore.
Aſt ego te, veneranda domus, poſt ſaecula dena
Ternaque, cum Syriam inuadet crudelibus armis
Hoſtis atrox, & caede fera & terrore coactam
Sub ſua iura adiget, victosque arcebit inique:
Ne ſanctum ſit praeda canum, ne perfida turba
Auſit opes ſuperum manibus temerare cruentis:
Tunc ego te, volet ipſe Deus, ſtipante corona
Aligerum, trans & montes, & caerula regna,
Sedibus e proprijs vulſam, ac fundamine priſco,
Illyridis noſtrae ſtatuam ſub vertice celſo,
Italiam contra, qua curuo in littore pontus
Aeſtuat Hadriacus, canisque allabitur vndis.
Qualia tunc populos contingent gaudia noſtros?
Dalmatiam, Iöniamq. omnem, Carnosque, Liburnosq.
Iſtrosque, & Venetos, Alpini & regna Timaui.
Teſtis Alexander ſacrorum antiſtes, acuti
Arida cui longum torrebat viſcera morbi

Vis grauis : & ſubito decedet corpore febris,
Accurretque, domum lacrimis veneratus obortis.
Teſtis Frangipanes, illam iuſtiſſimus oram
Qui patrio reget imperio. vos denique teſtes,
Qui Nazareth miſſi, certiſsima ſigna fertis,
Murorum ſpatia atque ſoli : quae ducta per omnem
Circuitum fidis monſtrabunt licia nodis.
O vtinam propria haec eſſent tibi dona futura
Illyris : attinges tantum. Tres ſcilicet annos,
Vix etiam ſeptem cernes ea munera menſes.
Sic Domino viſum. Finem hic dedit ore loquendi.
Namque huic,atque aliјs,quorũ dedit eſſe miniſtros,
Omnipotens, etiam ventura arcana retexit.
Haec inter, iuuenis roſeo pulcherrimus ore,
Cui diadema caput, torques gemmata coronat
Cui collum, & longe rutilanti fulgurat auro.
Sedulus hic cuſtos Picenae gentis, vbi Ancon
Nomina dat terrae, & tumidũ procurrit in aequor,
Suſcipit, & laetus reliquis mirantibus infit.
O,quod te celebrem templum memorabile : & o quã
Te domina Italia appellem: quo laurea ſilua
Piceni mihi grata agri, te nomine dicam?
Cui domus haec dabitur cunctos ſeruanda per annos,
Auroque, & gemmis, doniſque ingentibus aucta?
Te ſuper aequoreas, elatam nubibus, vndas,
Nubibus aligerum circumque ſupraque canentum,
Ducentumque choros manibus per mutua nexis
Attonitum mare conſpiciet, iactaeque relinquet
Per medium ſigna alba viae. Te Recina tellus
Paſtorum indicio excipiet : te marmore cinget

Arte

Arte laborato, ponetque expreſſa figuris
Argumenta operis. Gens huc toto orbe profecta
Confluet, auxilium genitrix ſanctiſſima poſcens
Illa tuum, votique ſimul damnata. Manebunt
Suſpenſae tabulae, & pulchro donaria templo,
Laminaque, & titulus ſuſcepti muneris index.
Expulit hic ſtomacho delapſum virus. At illi
Albidus abſceſſit venter, quem languor aquoſum
Corrupti iecoris vitio, fluidoque liquore
Inflarat, nantem infundens per viſcera mortem.
Huic autem fera per correptas flamma medullas
Sacro igni, caeca vexabat pectora peſte:
Huc ſimul ire vouet, gliſcentem flamma furorem
Depoſuit, peſtisque retro conuerſa remiſit.
Vulnera non memorem ſanato in corpore, nec cor
Effuſum ex vtero ſua rurſum in clauſtra receptum.
Sic, velut extincto, redierunt munera lucis.
Hic leto grauiora putans tormenta, ſub acri
Iudice, confeſſus falſo (nam ſaepe coëgit
Prodere res dolor infectas) dum vincula collo
Inſertat, te virgo orans, tum vincula fracta,
Et manicas penitus ruptas mirabitur inſons.
Iam quid & in bello, & pelago, ſeruata renarrem
Agmina, cum feruent haſtae, cum turbidus imber
Praecipitans ſine mora furit, nauisque dehiſcit
Alliſa ad ſcopulos? Tu non fruſtrare rogatus
Alma pios: excuſſa procul mors: reddita vita:
Et modus, & tempus, cernentur ſcripta per aeuum.
Sed quis finis erit, tua ſi miracula dicam
Lauretana Domus? Semper te, ſupplice adibit

Voce

Voce frequens populus: Tyrio te vellere cincta
Regia progenies: hic ſceptrum ponet & enſem
Caeſar: & auguſto ſubmittet vertice ſacram
Chriſtiadum mitram paſtor. Te barbarus, armis
Cuncta licet circum vaſtet, venerabitur hoſtis:
Vt tua vel medio ſit tuta in milite gaza.
Huc quiſquis veniet perfuſus membra timore,
Atque horrore comas, ſanctam procumbet ad aram,
Ad veterem pueri effigiem, quem mater in vlnis
Suſtentans cernere ſacris. Tum lignea contra
Orabit ſimulacra crucis. Vidiſſe caminum
Dulce erit anguſtum, paruique armaria tecti,
Hic vbi ſeruatur viliſque & pauca ſupellex.
Nec minus effinxiſſe animis, terſiſſeque labris
Arctius impreßis terram, qua parte puella
Dia fuit, Gabriel, tu cum ſuprema pauenti,
Quae dederat Pater omnipotens, mandata tuliſti,
Caſtaque diuino tumuerunt viſcera partu.
Vix ea: cum Gabriel, multis comitantibus, aedem
Ante ſalutatam linquit. ſua quiſque reuiſit
Munia: pars maior ſuperas euaſit ad arces:
Terraque diſcluſam ſtupuit fulgeſcere lucem.

DE OBELISCO VATICANO

AD. SIXTVM. V. PONT. MAX.

QVAE vetus aërio contingens vertice nubes
Stat moles ſpectanda foro, quæ clauiger aedem
Petrus habet, cineresque ſacros, aramque ſepulcri,
Non leuis hanc humili deductam e ſede poteſtas,
Vt validas oſtentet opes, artemque magiſtram,
Extulit, illuſtrique magis ſtatione locauit:
Sed pietas, ſed ſanctus amor, ſed iuſta cupido,
Vt veteres cultus, abolendaque numina diuum,
Impia quos olim fertur coluiſſe vetuſtas,
In melius conuerſa, animos ſuſpendere & ora
Viſa queant, tollantque Dei victricia ſigna:
Qui ſimul humanos artus, moribundaque membra
Victus amore ſuo caſta de virgine ſumpſit,
Inque crucem tulit efferri, ſimul omnia traxit
Ad ſeſe, & victor terrarum conſtitit orbis.
Ergo, & quam geminis, nec iuſta lege, dicatam
Caeſaribus quondam, perhibent inciſa vetuſtis
Saxa notis: Pater hanc SIXTVS tibi magne ſacrauit
Chriſte Pater, regumque apices, Aegyptia tellus
Quos tulit, aeterno domino perere coëgit,

Innumeras traxit gentes, longoque leuauit
Seruitio, ac ſaeua conſtrictas compede ſoluit:
Perque graues caſus, & mille pericula rerum,
Incolumes tandem optatam perduxit ad oram,
Hoſtibus extinctis, ſpolijsque ingentibus auctas.
Sed quid ego haec autem Fidei miracula narrem,
Atque die in medio doceam luceſcere Solem?
Certe ingens Fidei mirabitur argumentum
Quiſque tuae, ter ſancte ſenex, qui grandia ſaxi
Pondera, quod mare vix tenuit, vix horrida tellus
Praeſtitit eductum ſinuoſi e vertice montis,
Sublatumque alte fugit perterritus aër,
Imperijs erecta ſuis conſpexerit. vt crux
Alta triumphato terrarum impendeat orbi:
Proque viri foribus, cui credita ianua caeli,
Alliciat mirantum animos, Chriſtumque ſecutis
Indicet aetherij patefactum limen Olympi.

DE

DE. THOLO. S. PETRI
IN. VATICANO

AD. VRBEM. ROMAM.

ROMA VIRVM, rerumque potens, quae culmina caelo
Fers propior, propiorque Erebo veſtigia figis,
Et manibus totum geminis complecteris orbem:
Aeterno impoſita in ſaxo, quod vincere numquam
Vis queat inferna, aut propria de ſede mouere:
Ipſa licet certent tot monſtra immania ſummis
Expugnare odijs, certentque euertere ab imo.
Vrbs vna ante alias fortunatiſsima, & vna
Ante alias vrbes ſuperum gratiſſima regi:
Cui quondam placitum, bello & victricibus armis
Per populos vt iura dares, nunc denique pulſis
Vt tenebris larga perfundens omnia luce,
Clara ſerenatis praepandas lumina terris.
Vrbs ſacra, cui quamuis immenſi terminus aeui
Nullus erit, niſi cum mundum conſidere in ignes
Ipſe dabit genitor, corpusque immane reſolui:

Damna tamen, rerumque vices perpeſſa, periclis
E medijs erepta, graues ſarcire ruinas
Inſliteras dudum, atque iterum ſpectanda referre
Quae ruerant monumenta patrum, cultusque nouare,
Quos hominum inuidia aut labens aboleuerat aetas.
Iam vultu meliore nite, iam concipe priſcis
Non modo temporibus ſpeciem, ac virtutibus aptam,
Sed magis inſignem viſu, quam priſtina quando
Saecula vix norunt, mirentur poſtera ſaecla,
Et veteri praeſentem artem contendere certent.
Aſpice quod MONTE ex ALTO tibi prodijt aſtrum,
Aſtrum FELICIS vitae index: nobilis aſtrum
Virginis eſſe putes, mores quae laeta vetuſtos
Iam redijſſe, hominum dignetur viſere coetus:
Praeq. ferens ſpicum & ramum frondentis oliuae
Illuſtres tibi deferri gratetur honores,
Qua ſe cumque tulit, gradiens qua lumina vertit.
Namque hic Caeſareos obeliſcos cedere vidit
CHRISTE tibi, ſacramq. Crucē praetendere ſummo
Vertice, & antiquis ornatum accedere templis.
Hic rectas patuiſſe vias, certoque petitum
Tramite, qui celſos longe ſinuatur in arcus,
Flumen aquae, celebrare vrbem montemq. Quirini,
Et qui Phacacum nemori non inuidet hortus.
Hinc etiam atque illinc geminas extare columnas
Argumentum olim pugnae, iuſtique triumphi,
Quem manus extuderat caeſis animare figuris
Docta opus, & viuos de marmore ducere vultus:
Nunc veluti ſedem & fulcrum ſublime duorum,
Qui ſtudijs orbem paribus cepere regendum

Et PETRI ſimul & PAVLI. Stat praeſes vterque
Aureus, ac ſibi ſubiectas iam deſpicit arces,
Sub quibus inſonti fudit cum ſanguine vitam.
Has inter noua nunc tantum faſtigia tollit
VATICANVS apex, vbi rerum torquet habenas
Humani generis cuſtos, quantum ipſe ſacerdos
Mortales inter ſacrum caput extulit omnes.
Haec PETRVS procul, & curas ſub corde prementẽ
Regales SIXTVM aſpectat: regum ipſe potentum
SIXTVS opes laudesq. animis & ſumptibus aequat,
Tum vero affari, mentemque accendere dictis.
Sancte ſenex, quem tot lectis e patribus vnum
Iuſtitia & pietate grauem, rex aetheris alti
Ordine tam longo voluit ſuccedere nobis,
Sic meritum, CHRISTIQ. vices implere gerendo:
Dum niueas tutaris oues, dum laeta miniſtras
Pabula, nec partem auertunt fures ve lupi ve.
Viue diu, nec te anguſti timor anxius aeui
Grandibus abducat coeptis. Tibi plaudit Olympus
Auctus caelitibus, te iudice. Te ſtupet aequor,
Inſtructam admirans Tiberina ad littora claſſem,
Altaq. iamdudum pacatis otia terris.
Nunc age, perge feris purgare immitibus orbem,
Inſtaurare vrbis perge immortalis honorem,
Quod facis: aeternũ vt maneat tua fama per aeuum.
Ipſe ego tecum adero, & tandem tibi debita reddet
Munera, cum functum mortalis munere vitae
CHRISTVS in aetheriam victurum aſciuerit aulã.
Audijt haec SIXTVS, caelique incenſus amore,
Per benefacta viam ad ſuperos ſibi munit, & vrbem
Regifico

Regifico cultu, doniſque ingentibus auget.
Tum, veluti ſatis haud eſſet, quod largus egenos
Hoſpitio victuque iuuat, quod triſte ferentes
Seruitium redimit pretio, quod publica laxat
Horrea, & aduectis ſolatur frugibus annum,
Auertitque famem, querulaeque impendia plebi:
Exquilias etiam ſedes, penetralia MATRIS
VIRGINIS, & caſti praeſepia conſcia partus,
Protinus adiecti decorat ſplendore ſacelli.
Nec procul hinc adeo, LATERANI limina tẽpli,
Sacra vbi Pontifices quondam feciſſe feruntur
Rite DEO, & populis pia iura dediſſe vocatis,
Non reficit tantum longo cedentia ſaeclo:
Ampliat, & ſolido partem de marmore ponit.
Sed quid ego indictum te VATICANE relinquam,
Mons ſacer, vnde homines iam non oracula poſcunt
Deuia, & errorem dubio velantia ſenſu,
Sed ſummi reſponſa PATRIS, qui legibus orbem
Temperat, & caeli diſpenſat munera terris?
Huc feror, huc tota rapior per ſingula mente,
Nec potis expleri viſu. Iuuat vſque reuerti,
Atque animũ, atq. oculos, noua per ſpectacula paſci.
Quid primum memorem? Auguſtis ex aedibus olim,
Fetibus ingenij dulcem captantibus auram
Non minimum excluſum ſpatij, quo muta per artem
Vt valeant monumenta loqui, teneantque docendo,
Impreſſis elementa notis noua littera ſignat?
An magis extructas felici munere ſedes,
Tecta Palatinis non concedentia priſcis,
Quae tibi conſulto ſcelerumque & fraudis Apollo

Extulit Auguſtus, ſimileſque effinxit in vſus?
Hic vbi magnorum veneranda volumina patrum,
Et ſapientum artes, doctrinarumque reperta,
Certa quibus ſenioque fides, & neſcia falli
Maieſtas reſidet vultu, condentur, vt omni
Tempore depromi quaerentum ad commoda poſſint.
Quiſquis vt externa conſultor venerit ora,
Et doctus meliorque abeat, cauſasque rogatus
Haec habeat dixiſſe ſatis, nec dicta retractet,
In VATICANO ſic eſt effata Sibylla.
Sed quis iam fremitus, quis iam fragor occupat aures
Non lönge? clamor ne virum, ſtridor ne rotarum,
An confuſa ruunt ſimul omnia? ſaxa iacere
Hic video, hic ſtratos lateres, hic ruderum aceruos,
Caementa, hic bibulae mons eſt aggeſtus arenae:
Hanc contis ſubigunt iuuenes, gaudentque pracuſtae
Miſcentes liquidas vndas committere calci.
Aſpice diſpoſitos lapides iam parte polita,
Artificumque manus reliquo inſudare labori,
Quadrupedes in gyrum actos. Tòlluntur in altum
Marmora difficili niſu: indignantia credas
Praecipitemque adeo fruſtra minitantia caſum:
Sic ſtrepitant, nodoque gemunt grauiore reuincta.
Non ego non poſsim viſus attollere tantum,
Quantum ſurgit opus: laſſantur lumina, & ipſa
Nondum acie ſuperare queunt faſtigia templi.
Scilicet hoc PETRO extruitur mirabile templum,
Magnum, excelſum, ingens, caeli pars maxima curae:
Formam vnde aduectam terris oſtendit, vt aiunt,
ANGELVS, & tulit aetherias ſe rurſus ad oras.

Nec

Nec mora, Pontificum mens huc traducitur, aedem
Vt ſtatuant : ſed res alio conuertere magnum
Improuiſa animum cura grauiore coëgit.
Nimirum haec perfecti operis tibi gloria, SIXTE
Magne Pater, ſeruata tibi eſt. Tibi namque dedere
Caelicolae ad ſummos olim ſuccedere honores :
Vt quamquam metuenda aliјs, quamquã ardua tentes,
Atque humana graui muſſet perſaepe labore
Ars, alias memor ipſa ſui : tamen irrita numquam
Coepta, nec in vanos abeant ludibria ventos :
Et pia magnanimis aſpirent ſidera votis.
Te voluiſſe ſat eſt. Graue & immutabile SIXTI
Pondus ineſt verbis, & vocem facta ſequuntur.
Hinc, reliqua vt taceam, fieri quae poſſe negabant,
Facta, nec obſiſtat narranti inconditus ordo
Plurima : tu certe caeleſtis ianitor aulae
Conſpiceris maiore tholo : tibi conditur aedes
Sacra, tuis vicina aſtris, qua nulla per orbem
Pulchrior, & qua Sol oriens ſe emergit Eoo
Gurgite, & Heſperiјs obiens qua mergitur vndis.
Vix alibi te digna domus. Tua gratia SIXTE :
Cuius ad impenſas animus moleſque ſuperbas
Augetur magis atque magis. Tu commoda poſtquam
Pacis in Italiam gaudentem principe tanto
Tuta refers, reddiſque ſuos cultoribus agros,
Hanc etiam ingenti verſas ſub pectore curam,
Vt PETRO quae coepta domus producitur annis
Pluribus, ad ſeros ſe perductura nepotes,
Sic tarda ſe mole mouet (praecepta reſiſtant
Ni tua ſancte Pater) tandem molimine magno

Vndique conductis operis, manibusque coactis,
Extremamque manum accipiat, finemque laboris.
Haud aliter, quia magna decet componere magnis,
Maximus Iſacidum rector, cui candida nomen
Pax dedit, & partam meritis ſapientia laudem,
Tum demum Solymis templum ſublime locauit,
Vrbis opus, ſanctum, auguſtum, cum munera belli
Victoris patris imperio ſopita quierunt.
Res melior ſed SIXTE tua eſt. Illa inclyta templi
(Sic DEVS effatus) Solymorum gloria ceſſit,
Cumque ſuis deſerta iacet cultoribus ara.
Ergo & in ardentes volitarunt tecta fauillas,
Diſiectique procul lapides, auulſaque ſaxis
Saxa, nec antiqui manſerunt ſigna decoris.
At iuſſis quae nixa tuis extollitur aedes
Sacra PETRO, aeternum toto celebrabitur orbe,
Et SIXTI feret inſcriptum per ſaecula nomen.
Tu modo, quod ſupereſt, ſanctis hortatibus vrge
Magnum opus, & ſumptus impendere perge labori,
Inceptumque ingens laetis ſucceſſibus exple.
Bellum alij te auctore gerant. Hoſtemque rebellem
Conſilijs, opibusque pares, & foedere certo,
Ceu peſtem excutiant longe, ne morbida gentes,
Queis iterum iam parta ſalus, contagia laedant.
Forſan & optatum veniet te principe tempus,
Cum Turcam audacem bello pelagoque potentem
Chriſtigenae vincent armis: tu capta iubebis
Ad VATICANVM deduci colla triumpho,
Suſpendique tholo ſublimi barbara ſigna.
ROMA quidem tunc te mirabere, tunc tibi dices

Pulchrior, in melius veteres ceſsiſſe ruinas:
Cumque nouum decus aſpicies laetiſſima, SIXTVM
Auctorem decoris ſemper venerabere, SIXTVM
Per fora, per fontes, per agros, per templa ſonabis.

IVDICIVM. LABORIS ET. TORPORIS

Dictum in Gymnaſio Rhetoricae tertio nonas Nouembris M.D.LXXXIX

LIS GRAVIOR, Torporem
inter, pulchrumque Laborem
Inciderat: dum turpe putat concedere Torpor,
Et veterem ſibi praereptum cauſatur honorem.
Iam parat inſtructos teſtes, iam crimen acerbat
Multa mouens, luxum interea ſomnumque faceſſens,
Et longam accendit ſtimulis non mollibus iram.
At Labor, abiectum quamquam contempſerat hoſtem
Cum riſu coeptum indignans, ſe impune laceſsi
Iam toties non ferre poteſt, ſeque increpat vltro,
Virtutem exacuens, qua dicta aduerſa refellat.
Et cauſam diſceptat Honos. Hic viſus vtrique
Arbiter, aequato geminas examine lances

Qui tenet, haud flecti facilis precibusve minisve.
Haec ego, dum fictis miſcens veriſſima, paucis
Perſequor, vt dulci delectem carmine mentes,
Attentas habuiſſe aures fortaſſe iuuabit.
Iamque dies edicta aderat. Sedet inclytus oſtro
Atque auro ſublimis Honos, foribusque recluſis
Torporem magna praeconis voce Laboremque
Imperat acciri promptus cognoſcere cauſam.
Ac prior ingenti molimine Torpor agit ſe.
Vix dicas pedibus ſtantem: ſic crura vacillant,
Et comite hinc ſuffultus, et hinc, pigra corpora firmat.
Lumina vix adeo extollit, dum iudicis ora
Aſpiciat, famuloque ferat dictante ſalutem.
Nec mora, poſcenti (nam ferri iuſſerat ipſe)
Sella capax mollisque datur. Laetata corona eſt,
Vt latum in lata ventrem videre ſedentem,
Nec quicquam ſupereſſe loci. Sic omnia complet.
Nec minus & propior puer eſt, qui temperet aeſtus,
Et ventum faciat, muſcas abigente flabello.
At comes interior, ſubmiſſo murmure, tempus
Vt terat, alloquitur: motans caput ipſe, viciſſim
Annuit, atque aegre defendit lumina ſomno.
Haec inter, Labor ingreditur, non robore tantum
Aetatis, ſed flore vigens: neglecta decorum
Veſtis obit corpus: ſic & neglecta decebat.
Et patet inceſſu pulcher. Veneratur Honorem
Principio: cunctosque dein, quos accipit aula,
(Nam multos Fama excierat) geſtuque modeſto
Appellat, laetum, & vultu arridente ſalutat.
Ipſi autem: Reus hic ne, aiunt, hic dicere cauſam

Cogitur:

Cogitur : iſte actor? Rerum o praepoſterus ordo,
Inuerſaeque vices. Sed conſultiſſimus aequi
Arbiter eſt : vtrique bonus ſua praemia reddet.
Iudicis interea nutu vocale miniſter
Inflat ebur, parteſque citat. ſonus impulit aures
Cunctorumque animos. Torpor vix corripit artus
Languentes: gemina in diuerſum brachia tendit,
Oſcitat, atque oculos mulcet: vix denique tollit
Corpus iners : feſſuſque iterum ſegniſque reſidat,
Ni fodiant comites crebro, monſtrentque Laborem
Omnia cernentem irriſu, riſuque ſequentem.
O quantum valet optatae ſpes aemula laudis.
Olli ſegnitiam rupit pudor. Et ſimul vt ſe
Irriſum aſpexit, ſubitas exarſit in iras,
Et penitus toto eiecit de pectore ſomnum.
Tum vero ingreditur. Res importuna quietem
Turbat, & inſolitum tentare negotia cogit,
Sed ſemel hoc ſubeundum animo; ne ſaepe fatiger,
Atque eadem patiar toties. Numquam ne quieſcam
Per te inuiſe Labor? Nam quae te vexat Erinnys,
Quis furor, vt noſtra inuadas, taeterrime, regna,
Dulciaque inuideas cupientibus otia terris,
Otia pacato terras aequantia caelo,
Otia caelicolum ſemper digniſſima vita?
Tu maciem morbosque trahis. te incommoda mille,
Mille homines perdendi artes, luctuſque ſequuntur.
Per te vita grauis mortalibus. Accipe iudex
Optime: & ex imo deductas pectore voces,
Non iniuſta peto, placatis auribus hauri.
Qui natum in curas hominum genus eſſe queruntur,

Seque

Seque ferunt miſeros, non accuſare Laborem
Non poſſunt. Labor eſt hoſtis. Labor omnibus idem
Et dolor, & terror. Nam quot ſe vertit in ora
Improbus, vt capiat? quanta, heu, mendacia fingit,
Spem pretio vendens? hinc praeſens nulla voluptas
Certa homini, dum incerta inhiat, poſcitque futura,
Atque animum frangit curis, & pondere corpus.
Nec tantum ante annos ſequitur properata ſenectus,
Mors etiam. O iuuenes, vbi veſtra abſumitur aetas,
Et breue quod vitae volat irreuocabile tempus.
Hinc calor efferuet capiti, dentesque labaſcunt;
Lumina hebent, renesq. dolent, venterque, pedesque,
Et pulmo, & rigidas tuſſis coquit arida fauces.
Quot veſtrum, quot, pallor habet, quot ſanguis ab ore
Expuitur? quorſum longas protendere noctes
Peruigili ſtudio: quorſum conſumere luces
Aſſiduas, dum pectus agit ventoſa cupido.
Cuncta laboriferis quae ſunt dudum illita chartis
Diſcere, & ingratum famam producere in aeuum?
Mors ruit interea, & coeptis ingentibus obſtat.
Talia ſuſpenſo demittit aranea filo
E trabibus, ſibi vela legens, ſibi viſcera carpens:
Et praedam affectans cura fruſtratur inani. (eſt,
An quae animus meminiſſe horret, memorare neceſſe
Quot mare, quot ferrũ exhaurit, dum nomen honoris,
O Honor, vſurpant fruſtra: dum ſacra profanant,
Et ſibi promittunt ſecurae gaudia vitae?
Quid? quod & interdum vitam lucemque peroſi,
Taedia quod nequeant longi ſuperare laboris,
Vincula ſuſpendunt tectis, vbi debile corpus

Impediunt collo, atque animas miſere ſub vmbras.
Heu miſeras animas. Tantorum cauſa malorum
Tu labor. O commune odium ſuperumq. hominumq.
Digne Erebo, vnde audax olim prolapſe ſub auras
Peſtifero attactu terrarum conficis orbem.
In ſegetem ceu flamma ruit, cum forte miniſtrat
Vim Boreas: crepitant ſtipulae, culmisq. propinquis
Inijciunt inimicum ignem: diſpergitur ille
Hoc magis, atque omnem ſpem lati intercipit agri.
Aut veluti pluuijs riuisque ſequacibus auctus
Tibris agit fluctus, & priſcum tranſilit alueum,
Oſtia cum contra Tiberina ſpiritus Auſtri
Perflat, & intrantem prohibet, retroque repellit.
Ille pedem referens agros oblimat inertes,
Et pontem inſultans ſtagnantem territat vrbem.
Et qua currus erat, remo fert nauita lintrem.
Et dubitant aliqui victum damnare nocentem:
Non terris arcere parant, non mergere ponto?
Et caput infandum, ferum & illaetabile nomen
Viuit, viuit adhuc? audet ſe opponere nobis:
Iudicij lucem haud metuit: non numen Honoris
Iudicis, aut hominum ſaltem non reſpicit iras?
Quem primũ ſummumve vocẽ? quove ordine teſtes
Appellem? O homines certatim accurrite, veſtrum
Obruite hunc hoſtem, & terras caelumque leuate.
Fer miles gladium, remum fer nauta, ligonem
Cultor agri, fer nupta colum, inſtrumenta dolorum
Artifices duri, pueri calamumque, librumque,
Et ſcalprum: ſua quiſque ferat quae ſuſtinet arma:
Et caput inuiſum veſtris pertundite telis.

Talia monſtra nefas tam longum viuere. Dixi.
Plurimus interea ſudor de fronte volutus
Labitur, & faciem riuo inficit. ilicet illum
Abſtergunt comites lino. Conſidere iuſſit
Ipſum Honor, vt patuit praepingui corpore feſſus:
Luctantesque diu quatit aeger anhelitus artus.
Is ſedet, & pallam, quam lato amplectitur auro
Faſcia, criſpantem talos demittit ad imos:
Et blandum Colacem exaudit, qui tempore capto
(De grege Torporis pars hic non infima) in aurem,
Nil melius potuiſſe, nihil vehementius, eſſe
Iam victam inſinuat cauſam, fractumque Laborem.
Et ſuaſit. Quis enim labor eſt ſuaſiſſe volenti?
Quod ſi vera loqui fas eſt. Facundia cuique
Imponit. ſe quiſque ſatis putat eſſe diſertum.
Et ſibi quiſque Colax: ſibi quiſque ante omnia plaudit.
At Labor, vt primum eſt dicendi facta poteſtas,
Defigens tellure oculos ſic haeſit: honeſtus
Imbuit ora color: tantum non tangitur ira:
Et pudet actoris, non criminis. Inſcius artis
Actor, & iraſci facilis: quando improba, amaris
Inuidiae ſtimulis agitatus, crimina iactat.
Suſtulit inde oculos: & primum iudicis ora,
Vt decuit, veritus, circum de more coronam,
Quae ſedet, aſpexit placide. Dein farier orſus.
Accerſor capitis Labor improbus. acer, Honore
Iudice, Torpor agit. Torpor nos dicere cauſam
Hic iubet. o ſuperi. Labor eſt non vtilis orbi,
Pernicies hominum, cunctorum cauſa malorum.
Auctor mortis ego. Et quiſquam me dicere mortis
Audeat

Audeat auctorem: per quem ſe tota propagat
Rerum progenies, veniensque extendit in aeuum?
Sed nihil eſt, ita Torpor ait, quod ſponte quietem
Non petat, & ſuperas imitari cogitet arces:
Pax vbi tranquilla, & requies aeterna laborum.
Scilicet, in terris caelum ſibi fingit, & aſtra
Scandet iners. Mortale genus natum eſſe labori
Neſcit, & ignauis,quos mollis inertia tardat,
Nil vmquam ceſſiſſe boni. Naſcuntur inermes
Nudi homines, Torpor. niſi ſi tibi vellera ſoli
Caelicolum neuere manus, effulgere poſſes
Pulcher vt exoriens duplici velatus amictu.
At nos turba ſumus. nobis ſudore paranda
Sunt bona: viuendi merces labor omnibus: & ſi
Ad ſummas euadere opes, inuadere honores
Quis velit, hoc pretiū eſt: pulchras labor addocet ar-(tes,
Pauperiemque fugat. Quin ad caeleſtia regna
Durum, iter anguſtum per callem,aditusq. malignos.
Fortibus hic opus eſt. Si quos tenet improba Siren
Deſidia, hinc longe diſcedite. fidite fortes.
Fit via vi. Deus ipſe etiam compellit inertes,
Inuitans mercede animos, & praemia monſtrans.
Vſque adeo nihil eſt, cui non vt debita merces
Sit labor. Aſt odium eſt hominum, ſi forte, tuorum,
O Torpor, comitum: quibus vna ignobilis oti
Cura eſt, & tantum placita eſt damnoſa voluptas.
Accipe nunc contra, quae clades, quantaque tecum
Sit coniuncta mali moles. Tu corpora morbis
Oppugnas, animos vitijs: te infamia turpis,
Te fera pauperies ſequitur: tu incommoda mortis

Ante obitus affers homini. Quid membra veterno
Preſſa graui a morte interſunt: quid inutile corpus
A nullo: quid vita ſilens a funere triſti:
A tumulo quid lectus iners? quis denique dici
Eſſe poteſt, qui ſegnis agit? Sed nomen honoris
Vſurpant fruſtra, qui ſacris abdita chartis
Eruere inuigilant ſtudijs, curaque perenni
Erudiunt mortale genus. Sic dixerat olim
Conſcius ipſe ſui Torpor, fallensque refelli
Nil metuit. te ſpreuit Honos: te iudice certus
Fallere, te voluit falſi producere teſtem.
Non impune quidem, tua ſi mihi cognita virtus.
Nam quis, Honor, melius tibi ſe quis vindicat, an qui
Mentem onerat dapibus, vino obruit, inque ſopore
Oblitus decoris iacet, ignarusque ſalutis,
Et pecudum ritu tantum praeſentia captat:
An qui animum aeternis contra virtutibus auget,
Succingitque bonis, quae non variabile tempus
Offendat, non liuor edax, non barbarus hoſtis
Eripiat bello, non flamma exhauriat ignis?
Haec inter, ſed noſter ait, Labor anxius vrget,
Inſiſtitque operi. Nimirum ſomnus, & vmbra,
Et luſus, luxusque tui, riſusque, iocusque,
Et comitum generoſa manus, dum deſidet, atque
Nardum inter rutilasque roſas conuiuia curat,
Ad certos dum membra modos mouet ocyus, & dum
Ad citharam gaudet voces inflectere cantu,
Pectora tunc implet virtutibus, oppida & vrbes
Eruit, & longum manſuras extruit arces:
Tunc homines opibus firmat, formatque iuuentam.
Haec

Haec auidis praecepta animis haurite: magiſter
Omnibus hic vitae eſt. Verae qui laudis amore
Et decoris ſtudio contingeris, accipe dicta.
Haec Torpor multo perfuſus tempora Baccho,
Mollibus inſtratus violis, oracula ructat.
Scilicet, in mediam ſomnos producere lucem,
Indulgere mero, non vnquam incidere ludum,
Accurare cutem, ſaeuum fugitare laborem.
Hae iuuenis tibi vitae artes: haec imbibe toto
Pectore verba puer. Laetae hinc exordia vitae.
O ſcelus: haec audes edicere: nec tua ſentis
Conſilia extremam terris afferre ruinam,
Excidiumque orbi? Et tali contendere monſtro
Me decet? bis fruſtra cogor conſumere tempus,
Quod rebus debetur. Et eſt cur dicta refellam?
Suſcipe nunc Honor hanc cauſam, ſociumq. Laborem
(Nam ſine me non verus honos) defende, maliſque
Eripe criminibus: ne ſit qui impune laceſſat
Inſontē: ingenuae hoc poſſunt, quas conſpicis, Artes,
Vel tacitae. Tacet & Torpor: ſed ſtertit. at illum
Euigilare iube, & meritae nos aſſere laudi.
Hic iterum attento figens in iudice vultus,
Et coetum aſpiciens, finem dedit ore loquendi.
Aſſenſere omnes animis, & vera locutum
Clara voce probent: tua ſed praeſentia iudex
Obſtat Honor: tamen aſſenſum dant murmure rauco:
Deque Labore inter ſeſe gratiſſima muſſant.
Aſt Honor immotus paulum ſtetit: aequus vtrinque
Pondera perpendit: ſimul & collata duorum
Argumenta agitat: videt hinc ſimulata, ſed illinc

Vera

Vera mouent: longumque teri per talia tempus
Non viſum. Vt ſecum ſtatuit, ſic incipit ore.
Quandoquidem Torpor falſa obtruſiſſe videris
Crimina: vera Labor, dum te defendis, & hoſtem
Arguis. I Fama inſontem teſtare Laborem,
Victoremque cie, & magna comitante caterua
Duc ad Virtutis. Lentus ſpectacula Torpor
Laeta dabit: tardi coſtas agitabit aſelli
Ad templum inuectus, pompamq. ducemq. ſecutus.
Ducite vos Artes illum, ſtimulisque morantem
Caſtigate: dabit iuſtas pro crimine poenas.
Haec ait: & magno ſonuerunt omnia plauſu.
Et iam Fama celer coetu gratante Laborem
Compellat: laetumque cauo dedit aëre canorem.
Dicite io comites: & io ter dicite: victor
Viue Labor. ſimilis comitum ferit aethera clamor,
Atque Labor Labor & montes vallesque loquuntur,
Et Labor excuſſi referunt ad ſidera colles.
Ipſe autem pulchro calefacta per ora rubore,
Et capite inſignis nudato, & vomere duro,
Vomere, longinquo attritus qui ſplenduit vſu,
It pedes, & greſſum accelerat. comitantur euntem
Agmina lactantum iuuenum, laudesque canentum
Victoris. nam Fama praeit. Vt proferat aeuum,
Aedificet muros, fecundos conſerat agros,
Inſtituat leges, mores informet & vrbes,
Inſtruat ingenium, ſapientum conſecret artes,
Queis Virtus florere omnes dat poſſe per annos,
Corpora conſeruet: Tu dulcis commoda vitae
Cuncta paris princeps: tu nobis excutis ignem

E ſilice, & nudis circumdas terga ferarum
Artubus, & terras aperis, pontumque profundum:
Hinc patet vna domus, quidquid complectitur orbis:
Te ſuperum mirata cohors, ſtupuitque ferentem
Intentas in caelum acies, ortusque obitusque
Stellarum ſeruantem oculis, radioque docentem,
Nec te vllae rerum ſpecies, non effugit ipſe
Omnipotens genitor, non qui ſe ſpiritus omnem
Per naturam infert, vitalique afficit aura.
Viue Labor dilecte Deo, cui plaudit Olympus,
Et dignam meritis caeleſtem deſtinat aulam.
Talia gaudentes celebrant: ſuper omnia victum
Torporem adijciunt, dictamque ex ordine cauſam.
At Torpor turpi iamdudum impoſitus aſello,
Vrticae caput ignauum amplectente corona,
Praeq. manu hirſutum portans cum germine ruſcum,
Spectantum irriſu, & magno clamore ſequentum,
Vix ſomno excuſſo inuehitur: ſtupet inſcius ipſe,
Labentesque oculos male ſuſtinet: ipſe reſiſtit
Attonitus quadrupes. nam turba interſtrepit arcta,
Et premit impoſitus dorſo: ſed tunditur illinc
Ictibus, atque illinc. quamquam foedisſime ſeſſor
Et tibi ſubiectos ſtimulos in corpora vertunt,
Saepe velut fallente manu, feriuntque dolentem,
Et laſſos referentem oculos. Silueſtria poma
Sint quoque qui iactent pueri: ni vocibus Artes
Ingenuae obſiſtant. ergo, quod denique posſunt,
Clamoresque inter, fremitusque, & ſibila plebis,
Increpitant ſegnem. Quae tanta audacia Torpor
Iſta fuit, quae tanta animis dementia venit,

Nomen vt egregij velles deferre Laboris,
Et litem, infelix, intendere? Nunc age tandem
Euigila, & victus victorem agnoſce Laborem.
Vt ventum ad templum Virtutis, ludicra pompa
Conſtitit: ingreditur Labor impiger: ad ſacra Torpor
Limina ſubſedit, ſtimulis agitatus, & ora
Perfuſus ſudore graui: feſſusque laboris,
Poſtulat, vt ſolitae tandem det membra quieti.
At praeco, quod Honor praeceperat, aere canoro
Increpat, horrificum. Tum facta ſilentia linguis.
Ille autem e magni praeſcripto iudicis infit.
Poenarum ſatis eſt. Habuit ſua praemia Torpor.
Ilicet. Hic omnes clarum plauſere: diuque
Haec fuit in memori laetiſſima fabula vulgo.

PRE-

PRECATIO AD. DEVM

SVMME Deus, qui das humiles contemnere honores,
Diuitiasque inopes, & triſtia gaudia vitae,
Deſuper oſtentans caeleſtis praemia palmae:
Quo ſimul accenſi patriae melioris amore,
Omnibus a curis curam traduximus omnem.
Tu magnos inſpira animos, tu illabere menti,
Tu penitus caecis infer penetralibus ignem:
Et ſi quod vitium, ſi qui non vtilis humor
Peſtifero attactu fundo ſubſedit in imo,
Excoque, & exudans tenues vaneſcat in auras,
Neu mentem defigat humi, curſumve retardet.
Inſere quod nullo labefactum vulnere robur
Sufficiat vires, & fortia pectora firmet,
Quae tibi dum grato famulantur laeta labore,
Stent nullis neque fracta malis, neque territa mōſtris:
Omnis vt auxilijs ſpes, & fiducia noſtri
Atque opibus ſubnixa tuis, promiſſa fidemque
Expleat: & quando coeptorum es maximus auctor,
Sis operum adiutor. Da nunc, da vincere curſum:
Da curſu ſuperare leui, quam poſcimus, arcem:
Exciti vt ſtudijs, laetique euentibus ipſis,
Quale eſt victori pretium, quae munera forti,
Quem vis nulla altis potuit deducere coeptis,
Sunt poſita, haec olim, meritosque feramus honores.

ALIVD

REX hominum, cui noſtra ſalus & gloria cordi,
O quam grande tuum, ſanctum, admirabile nomen,
Qua ſe cumque ingens terrarum porrigit orbis.
Aetherias etiam ſedes, alta atria caeli
Inſtitit inuolitans longe celerantibus alis.
Hinc puer ipſa licet matris lactantia quaerat
Vbera, & a labris liquidus non ceſſerit humor,
Te pleno canit ore Deum, dum perfidus hoſtis
Infando abſtineat bello, ſeque increpet vltro
Impius, & fractis diſcat non fidere telis.
Ipſe quidem caelum quoties ſub nocte ſerena
Lucentemque globum aſpicio, quaſq. aequore in alto
Accenſis facibus choreas pulcherrima Luna
Ducit inerranti greſſu, tua dona, tuumque
Immortale opus, obtutu defixus in vno
Haereo; & attonito clamans vox exit ab ore.
Nam quid homo eſt tandē, cuius meminiſſe voluptas
Eſt tibi? quid proles? illam quae cauſa tuendi eſt,
Omnis vt in parua magni ſtet cura parentis?
Hunc tu certe hominem, o genitor, diſcrimine paruo
Aligerum procul a numero lectaque cohorte
Eſſe iubes: claroque ornas diademate frontem,
Quae circum illuſtri radians ſcintillat honore:
Omnibus vt rebus, tua quas cum dextra creatrix
Omnia formauit, varios effinxit in vſus,
Imperet, & totum mittat ſub legibus orbem.

Ille

Ille autem ſibi ſub pedibus videt omnia iuſſu
Stare tuo, cunctoſque greges ouiumque boumque,
Et pecudum quodcumque genus, quodcumque ferarũ,
Et quae ſe volucri librat per inania penna,
Et quae marmoreo gens innat ſquamea ponto.
Rex hominum, cui noſtra ſalus & gloria cordi,
O quam grande tuum, ſanctum, admirabile nomen,
Qua ſe cumque ingens terrarum porrigit orbis.

ALIVD

FERTE Deo fetus ouium diuina propago,
Ferte Deo, & ſacras mactandos ſiſtite ad aras:
Ferte Deo cum laude preces: perſoluite honorem:
Carminibus celebrate Deum. ſancta atria circum
Ture flagrent, reſonent votis, & ſanguine fument.
Auditis? Deus inſonuit: vocem aequora caeli
Accepere: leues turbarunt protinus vndae.
Pro quãta in voce eſt virtus? quantũ inſtar in ipſa eſt?
Scilicet aëriam potis eſt excindere cedrum,
Cedrum quae Libani ſublimi in vertice, quantum
Ad caelum ramis alte ſurgentibus exit,
Tantum etiam terris late diffundit odorem.
Senſit & hinnuleo ſimilis, qui territus antrum
Deſerit, ignotasque fugax aufertur in oras,
Exiluit Sarus, & Libanus, tonitruque remugit,
Quod micat, et rutilas iaculatur ab aethere flammas.
Ecce autem horriſono miſcetur terra fragore:
Concuſſus gemuit Cades, ceu femina primum

Cui grauis indoluit maturis menſibus aluus,
Plenaque vicino fremuerunt viſcera partu.
Vox eadem ceruis properato tempore fetus
Ante diem ex vtero exemit, pondusque leuauit,
Cruda puerperia, at dextra medicata ſalubri.
Pandentur veteres decuſſo robore ſiluae,
Et Solem accipient euerſae a ſtirpibus imis:
Et nomen laudesque Dei templum omne ſonabit.
Ille triumphata nimborum nocte, coruſcus
Arce ſedet, ſciſsis demittens nubibus imbres:
Et reget aeterno imperio quem condidit orbem.
Hic ſibi quem populum cunctis e gentibus vnum
Eligit, aſpiciet propius, vultuque benigno
In pugnam vires animis ardentibus addet,
Hoſtibus vt victis ſecura pace fruantur.

ANTONIO QVAERENGO

NAM quid ego Antoni, vita mihi carior ipſa,
Cui penitus ſecreta mei ſunt peruia cordis,
Audio? tam triſtis dulci vox excidit ore?
In dubium haec igitur traxit ſententia pectus,
Hoc animo ſubijt, potuiſti huc flectere mentem,
Vt tibi non prudens iraſcerer, vt minor eſſet
Factus amor, quem nulla queat violare vetuſtas,
Non res vlla gradu moueat, licet omnia late
Peruolitans flammis vltricibus expiet ignis,
Et ſimul inuoluat nigranti exuſta fauilla?
O ego non plane tibi cognitus. o vbi noſtrum
Et pellucidius vitro, ſtagnoque liquenti,
Et mite ingenium, ac ſimplex? vbi mentis imago,
Non modo frons ipſa & facies, quae fallere poſſunt,
Integer ac purus ſermo? Procul eſte malignae
Vos nebulae, emiſſaeque nigris procul eſte latebris,
Vt nubes pluuiarum, irarum ſemina voces,
Vnde animo afflantur lites, & iurgia gliſcunt,

Non vllus locus eſt vobis, vbi candida ſedem
Fixit amicitia, & concordi foedere dudum,
Auratoque iugo, ſolidoque adamante reuinxit,
Et paribus ſtudijs & moribus apta duorum
Pectora: quos inter medios licet improba nexus
Excita tartareis volitet Diſcordia ab antris,
Et plagam adducta infligat male ſana ſecuri,
Aut flammam inijciat circum, ventosque furentes
Euocet Aeolia, vt magnas incendia vires
Accipiant, dirimantque vltro, quos talia iungunt
Vincula: nil agat, & tandem defeſſa quieſcat.
Neſcit amor laxari adeo: manet, editus alto
Vt ſcopulus pelago, quem circum flamina & imbres
Cum pulſant, vexantque feri, franguntur: at ille
Eminet, & caelo caput imperterritus effert.
Bencius iraſci Quaerengo poßit: amicus
Quippe ſuo modo iure vſus dicta aſpera iecit
Liberius. Tam parua in nos conceſſa poteſtas?
Quid mea ſi manibus tandem, ſi corpora ferro
Laeſiſſes, an iuſta foret mihi cauſa dolendi?
Tam ne parum nobis tua ſit ſpectata voluntas
Tempore tam longo? Meritorum, rere, tuorum
Vlla ne me capiant obliuia? Quid tua virtus,
Quid mihi nota fides, animi & caeleſtia dona,
Quae tuus iſte labor cumulis maioribus auget,
Doctrina & pietas, & rerum plurimus vſus,
Et tua fama olim per cunctas didita gentes?
Me ne iubes tibi reſtituam? Quis me abſtulit? At ſi
(Vt potius metuo, o vtinam timor irrita fingat)
Quid mihi te rapuit, tu te mihi redde, tuumque,
Quo

Quo ſine nec cupiam, nec poſſim viuere, amorem:
Sed duplicatum oro. Namque irae, forſan, amicos
Si tangunt, cum cara animis ad munia ventum
Eſt iterum, ceu Sol, nigras vbi diſpulit vmbras,
Clarior oſtendit radiantia lumina terris,
Sic etiam eiectis irarum e corde tenebris
Interrupta prius fit gratia maior amantum.

AD. DVOS. CARDINALES qui paucis diebus ante Cineralia ſua praeſentia Rhetoricae gymnaſium honeſtare voluerunt.

VOS autem, illuſtri maiorum ſanguine creti,
Humani generis pars optima, noſtra ſubire
Tecta quibus libuit: ſceleri dum laxat habenas,
Atque animas dulci deceptas felle veneni,
Oblitas decorisque ſui propriaeque ſalutis,
Detrahit in praeceps laſciuia: dum vaga circum
Compita, perque domos non inconceſſa voluptas
Luce palam figit veſtigia. vos quibus ornem
Laudibus, & tanto pro munere dicere grates

Quas

Quas animo trepidante parem ? Sat magna voluntas
Et praetentat onus, ſed deficit. O vbi fulmen
Eloquij, vortex vbi carminis ? Ibimus ergo
Officij immemores, & ſit qui facta refellat,
Et noſtrum arguto traduxerit indice nomen ?
Non ita. nam quamquam non poſſim aequare canendo
Dicere quod cupidam mentem obruit: attamen ingens
Haerebit ſtudium, gratoque inſcripta cupido
Pectore, quam numquam veniens oblitteret aeuum.
Nec mecum haec muto condetur fama ſepulcro.

AD. IO. FRANCISCVM Maurocenum Cardinalem Epiſcopum Brixienſem.

Prid. Kal. Maij M. D. XC. quo die in claſſem Rhetoricae venturus eſſe dicebatur.

H*VIVS erat ſaecli iam nonageſimus annus,*
Principium ſexti Sixto: claudebat Aprilem
Proxima lux Maio, qua ſe pulcherrima Roma
Comparat ad celebrem pompam, redit actus in orbem
Ad ſacra Pontifici ſollemnia debita plauſus:
Cum Venetum antiqua ducens ab origine nomen

Brixia

Brixia quo pollens opibus, magnoque virorum
Conſilio & virtute potens, ſub praeſide gaudet:
Integer & vitae, Romano inſignis & oſtro,
Has humiles aedes, anguſti haec limina tecti
Maurocenus adit: parua illum ſella recepit,
Neſcio quem voluit quando vidiſſe docentem.
Illius hoc magis extollet ſe gloria facti,
Non vlla delenda die: memorabimus ipſi,
Dum vox ore ſonet, dum ſpiritus hos regat artus:
Mox memorandum alijs, alijsque feretur ab illis.
Perque vices, vocesq. hominum, dum Roma manebit
Romanusque pater pacatum proteget orbem,
Maurocenus erit, nec erit quin nomina iactet:
Atque omnis factum admirans venerabitur aetas.

FINIS. LIBRI. PRIMI

FRANCISCI. BENCII

E. SOCIETATE. IESV

CARMINVM

LIBER. SECVNDVS

Ad Gregorium XIII. Pont. Max. in tranſlatione Sancti Gregorij Nazianzeni.

ODE. I

QVID ROMA feruet Martia? quid vomit
Effuſa Campus Martius agmina
Ad Vaticani ſumptuoſa
Templa, pio renouata cultu?
Quid ſtrata multae flos variat roſae?
Quid ture fumant Attalicis domus
Velatae & aulaeis, & oſtro
Mane diem referente purum?
Flammarum inundans ordine cur via
Longo relucet? carmine cur fremit
Seu voce laetantes acuta
Siue graui modulante cantus?

Ardente

Ardente circum ſulphure cur tonat
Excelſa moles, quam Tiberis rigat,
Crebroque diſſultat fragore,
Et rutilos iaculatur ignes?
Quis purpurarum conſpicuus nitor?
Quae pompa late ſplendida? quid rigens
Includit aurum? quos triumphos
Ducit agens niueus ſacerdos?
Ergo beatis mentibus additi,
Quo tollit altum Graecia verticem,
Impoſta ſublimi feretro
Gregorij veneramur oſſa?
O ſancte cuſtos, o pater vrbium,
Morum o magiſter mitis, & vnice
Aſſertor almae veritatis,
O domitor ſcelerum, atque fraudis
Inuicte vindex: horruit impius
Te Iulianus transfuga, qui tuum
Expauit enſem, qui peruri
Igne notae doluit probroſae.
Senſere, claro dum eloquio tonas,
Quid lingua poſſet, quid calamo manus
Tendente longe, perduelles,
Dum validos meditaris ictus.
At ſi remittas munera grandia,
Opusque ſumas carminis & lyrae
Manſuetioris, ſi labores
Cecropia recrees Camoena.
Diuina quis te ſanctius aureo
Plectro ſonantem, flebilibus modis

Vincat

Vincat querentem : ſaeua Ditis,
Saeua hominum mala, ſaeua carnis?
Vir magne : quando maxima pars tui
Caelo recepta eſt, vrbs tenet alteram,
Temploque conſortem Latini
Gregorij, pater ipſe fecit
Romanus, omen nomen & inclytum
Tuum ſecutus : reſpice ab aethere,
Quae dona, quos aris honores
Roma tuis meritis reponat
Auctore tanto : quo nihil aureus
Maius ve Titan, aut melius videt
Caelo coloratos ad vſque
Seras, ab Heſperijs remotis.
Quem nec reclinat ſolicitum labor
Poſcens quietem, ſed neque publicae
Saecli fatiſcentis ruinae,
Nec vigiles domuere curae.
Illa. mole rerum conſulit omnibus.
Germana pubes teſtis, & Anglica,
Et Graeca Romae, quo fidesque
Et patriae reparentur artes.
Cuſtode magno Gregorio neque
Morſus latentum grex timet anguium,
Saeuos nec aſſultus leonum,
Nec quot habet fera monſtra Auernus.
Salue o potentum maxime principum,
Longumque regna, perge age Graeciam,
Omnemque terram, paſtor vnus,
Vna fides, regat, vna Roma.

IN. EADEM

ODE. II

MAGNE SEV gemmas Orientis auges,
Magne ſeu fulges iubar Occidenti,
Magne paſcendo grege magno, & idem
Magne docendo.
Qui tuas auſit numerare laudes,
Hadriae inſanos numerare fluctus,
Ille & immenſam ſpatijs Libyſſam
Auſit arenam.
Quis piam mentem referat? quis oris
Spiritum Graias animantis vrbes,
Vnde tot viuunt monumenta ſacris
Condita chartis?
Dicat haec caelo pia gens recepta,
Dicat infandi rabies tyranni,
Cum tremens monſtrum furiale diris
Truditur vmbris.
Ille damnatur ſcelerum ſub Orco,
Tu Deo partos agitas triumphos
Laetus, & dulci frueris beatae
Munere lucis.
Haec tibi ſedes animae: ſepulcro
Roma honorato cineresque & oſſa
Seruat, & miro decorata cultu
Templa frequentat.
Templa, quae magni tibi rector orbis...

Et

Et tuum nomen referens ſacrauit
Saeculis ſeris veneranda, & arti
Neſcia priſcae.
Martium te iam tenuiſſe campum
Eſt ſatis. poſthac iuga Vaticani,
Quo nihil maius propiusve caelo,
Sancta tenebunt.

AD. CHRISTVM pro Flandria.

ODE. III

QVOVSQVE tandem CHRISTE pater tuum
Tam dira peſtis, tam fera vaſtitas
Terrebit orbem corruentis
FLANDRIAE in exitiale fatum?
Deſunt beatis vrbibus incolae,
Atque officinis ingenia & manus:
Et claſſe portus, & colonis
Diuitibus viduantur agri.
Iam non ariſtas flaua gerit Ceres,
Extenta non grex vbera lacteus,
Pictosque flores non Ibera
Lana rubro ſaturata fuco.
Terra inſepultis corporibus gemit
Oppreſſa,

Oppreſſa, abacta prole furentium
Matres equorum, nec relicta
Spe Sobolis procul interemptae.
Inter minaces & litui & tubae,
Et militantum tot ſtrepitus, ſilent
Artes decorae, nec videntur,
Cuncta fero rapiente Marte.
Mars peſtilenti ſaeuior Africo,
Flamma impotenti Mars violentior,
Bacchata longe quae domorum
Celſa leues ferat in fauillas.
O rector orbis maxime, qui bonis
Mutare gaudes triſtia, deſine
Saeuire, deiectiſque parce,
Et pietas tua flectat iram.

AD. FLANDRIAM

ODE. IV.

IN te quis, o, te FLANDRIA agit furor?
Quae culpa poenas exigit vltimas,
An ne id laboras, vt fidemque
Immemor, imperiumque frangas?
Hac mole nondum preſſa vides mali
Quam ſit timendum, non violabilem
Spretam eſſe legem, non repreſſos
Ancipites populi tumultus?
Quae te ira, quis te contudit impetus

Caeli minantis? quis Notus inſolens
Deiecit, in turpemque luctum
Quae rabies, miſeranda, vertit?
Quisnam tuorum funera ciuium,
Quis rapta ab ipſis pignora matribus,
Et ſtrata inundantum viarum
Quis calido referat cruore?
Compeſce mentem. ſeditionibus
Inſanientum nullus erit modus?
O nobilis virtute, fama,
FLANDRIA, nobilior ruinis.

AD. CHRISTVM. IN. DIE Sanctorum Innocentium.

ODE. V

VIRGINIS magnae puer, o benigne
Chriſte, paruorum pater Innocentum,
Sume, quae recti ſtudioſa reddit
Vota iuuentus.
Nil habet maius, licet illa paruum
Offerat munus tibi: ne recuſa,
Quod poteſt, caſto modo nil reſeruans
Pectore donet.
Iam vale mater ſcelerum voluptas,
Mentis & feruor male ſanae habendi:
Serua libertas vale, & imperandi

Caeca

Caeca libido.

Duc iugo ſuaui Deus impeditos,
Et leui laetos onera catena,
Aureis vrge manicis, decora
Compede vinci.

Quiſque ſublata cruce, te ſequendo,
Certat extentos celerare greſſus,
Sed gigas longo ſpatio relinquis
Pone ſequentes.

Admones curſum tamen vt capeſſant,
Et vel obſeruent oculis euntem,
Et per impreſſas pedibus notas ve-
ſtigia figant.

Grex tenellorum ſubit Innocentum
Proximus longe, niueis amictus
Quas ab aeterni ſaturat cruore
Veſtibus agni.

Martyrum o flores nimium beati,
Queis Deum primis genitum profeſſis
Pro fide, vix dum datur inſtitutam
Ponere vitam.

Quis furor, quaenam truculenta Erinnys
Tantum in inſontes inimicat arma,
Aſperat tantum gladios cruenta
Cote nocentum?

In ſinu natos laniare matrum
Neſcios fari, quis iniquus ardor
Cogit, vt lactis fluuij redundent
Sanguine miſto?

Heu dolor. raptos manibus parentum

Caede mactari: dare blandientem
Dexteram ferro: modo tot petatur
Millibus vnus.
Ille ſed morti rapitur recenti;
Surge, nam dixit Gabriel, marite,
Surge, in Aegyptum, puerum, parentem
Transfer & ipſam.

ODE. VI

O CVRAS volucres: o nimium breues
Conatus hominum: debita perfidis
O ludibria ventis:
O votum varium ac leue.
Quo ſe conſilium proripuit vetus?
Quo deſiderium nobile? quo mea
Mens dilapſa receſſit,
Quae me reddiderat mihi?
Heu cur circumagor? quo trahor inſolens?
Quis me ſuppoſitum, quis pedibus premit?
Heu quis verbere torquet,
Heu, me quis mihi ſurpuit?
Iam iam nolo alios. CHRISTE pater, tuus
Sum, ſum CHRISTE tuus: me tibi vindica,
Me tam ſaepe fugacem
Iniecta domina manu.
Et ne diffugiens rurſus agar retro,
Ternas mi manicas inijce: nec ſatis.
Ternas necte catenas:
Ternas inſere compedes.

AD. PHILIPPVM Hiſpaniarum Regem.

ODE. VII.

GENTIS humanae columen Philippe,
Maior o magno patre, tot potentum
O erunt quotquot fueruntve ſuntve
Maxime regum.
Si quies tanta tibi mole rerum,
Sume Praeneſtis generatus vrbe
Quos tibi dulces modulatus offert
Cernuus hymnos.
Talis in caeli domibus beatis
Cantus aeternum dominantis aulae,
Cum pio reddunt Superum parenti
Carmine laudes.
Sic diu laetum modereris orbem,
Pace compoſta duce te: tuumque
Nomen aeternet veniens per aeuum
Fama ſuperſtes.

DE. EODEM

ODE. VIII.

AETERNE regum rector, & arbiter
Mortalis aeui, quem, ſimul annuis,
Repente decliuis veretur
Terra, polus, Stygiusque carcer.
Tu qui Philippo, cui melior ſubeſt
Maiorque terrae pars habitabilis,

Mentem poteſtati, fidemque
Imperio geminam dediſti.
Hoc quando ab vno magna hominum ſalus
Pendet, precantum vocibus annue:
Da profuturae longa vitae
Tempora, da validam ſenectam.
Viuat Philippus maximus optimus,
Serusque tangat limina caelitum,
Cum regna terrarum ſubacta
Viderit, & geniti nepotes.

AD. GREGORIVM de obſtetricibus Aegyptijs.

ODE. IX

PHARAO tyrannus gentis Hebraeae patres
Graui fatigabat iugo:
Quaerensque ſemen ſtirpis omne extinguere,
Praecepit obſtetricibus,
Vt ſi qua proles naſceretur maſcula,
Guttur repente frangerent.
Iuſſa horruerunt obſtetrices impia,
Pijs fauentes legibus.
A caede ſeſe continent infantium,
Parcunt & innocentibus.
Aſpexit haec communis e caelo pater,
Qui cuncta ſolus aſpicit,

Domosque

Domoſque firmas ſtruxit obſtetricibus,
Remunerator optimus.
Licet ne ſancte comparare Pontifex
Caeleſtibus mortalia?
Licet. parata namque ſunt ſeſe dare
Mortalibus caeleſtia.
Tenebricoſi rector orbis inuidus,
Qui fraude terras occupat:
Et Chriſtiana ſiqua ſe tollunt ſata,
Vtut poteſt, interficit:
Mandauit ante diſciplinis exteris,
Iiſdemque liberalibus:
More obſtetricum, quae leuant puerperas,
Recenſque partus editos:
Vt robur omne, & ſpem virilis ſanguinis
Necent cruentis vnguibus:
Meliorque ſexus totus vt ſemel ruat,
Imbelle non curat genus.
Hinc illa erat iactura lacrimabilis,
Actumque vulnus altius.
Cohors bonarum ſed fidelis artium
Deum verentum laedere
Maribus pepercit: vt ſenectutem patrum
Aetate firmata iuuent.
His GREGORI, qui ſolus in terris vicem
Deique munus obtines,
Facis benigne: & qua nitet Sol aureus,
Amas, fouesque litteras.
Sed hac in vrbe, Chriſtianis gentibus
Quae ſancta praepandit facem;

Fautor bonarum liberalis artium ,
Attollis ad caelum domos .
Eritque tempus, turba cum clientium
Vt gens Iudae praepotens
Spolijs onuſta Aegyptijs, gaza grauis
Cum virga recluſit freta :
Miretur aequor ſubditum ſicco pedi ;
Hoſtemque merſum rideat .

IN. DIOCLETIANVM Imperatorem , qui ſe Iouium appellari, & vt Deum ſalutari voluit.

ODE. X

Qua breuiter narratur beata mors ſanctorum Abundij & Abundantij .

INSANE vaſtis inferorum faucibus
Flammis vorande vltricibus ,
Deuota praeda Tartaro : quid te Deum
Fruſtra vocari praecipis ?
Cur veſtis auro fulget , ardet ignibus,
Gemmaque ſuras induis ?
An caede facta , quam paraſti carnifex ,
Neglecta ſordet purpura ?

Quid

Quid iſtud alti nobile, vt putas, Iouis
Cognomen vſurpas tibi?
Hominis ne ſortem, & patris obſcurum genus,
Et patriam obliuiſceris?
Indignum an iſta te coëgit dignitas
Iactare in altum cornua?
Tantamque morum facit inſolentiam
Honoris inſolentia?
An celſa, qua ſuperbe ſubnixus ſedes,
Sedes parit faſtidium?
Tu te beatum praedicas: neſcis miſer
Quam certa tempeſtas ruat.
Quanta flagres infamia: cunctos ſimul
Contemnis, & contemneris:
Puteum putem te vane, deſpiceris magis
Quanto videris altior.
Iniuſta numquam iuſſa iuſſi fecerint
Abundus & Abundantius:
Ille vt ſacerdos optimi magnus Dei,
Hic vt miniſter ſedulus.
Et hic & ille Chriſtianorum gregem
Quacumque poſſunt adiuuant:
Et ante mutas quam colant imagines
Dementium ludibria,
Adulterumque, & patris oſorem Iouem,
Stuproque conceptum Herculem,
Immota cernes flumina, & montes gradu
Perambulare concito.
Vrit, proterue, quam vides, CHRISTI Dei
Liberrima atteſtatio.

Vngues

Vngues cruentus exere, exerce ferox
Eſt quicquid in te virium.
Minare vincla, carcerem, ferrum, famem,
Et noxialem ſtipitem.
Effla venenum, peſtis, hauri ſanguinem,
Incende Auernales faces
Nam Chriſtiana non poteſt vinci fides
Inter pericla fortior.
Altumque pectus martyrum gaudens nece, &
Modeſta contumacia.
Pudet ne vinci? & feſſus auelli iubes
Vtrique deuotum caput?
Feliciter dixiſtis illuſtriſſimi
Chriſtique fortes martyres.
Nempe immolandi, victimae gratae Deo,
Ab vrbe ducuntur procul:
Superasque ad auras, lumen & caeli, valent
Reuocare functa corpora:
Vitamque dirae mortis exortem dare:
Et mors dolore rumpitur.
En Martiani filius ab ipſis redit
Exuſcitatus inferis,
Patri & ſalutem reddit aeternam: ſimul
Lympha ſalubri prolui
Se poſtulat cum filio: tantus Dei
Flammabat ignis pectora:
Quem nec (nefanda pro manus ſatellitia)
Profuſus extinxit cruor.
Ergo ſacerdos cum miniſtro plectitur,
Et Martiano, & filio.

Animae

Animae ſolutae corporis contagio
Ad aſtra conſortes volant.
His Chriſtus inter concinentes caelites
Dat praemium victoriae.
Aurum coronat capita promicantia,
Gemmata torques pectora.
Impie tyranne fallere. illorum putas
Cum corpore extinctum decus.
Fluxiſſe nondum vulnere ex illo vides
Plus gloriae, quam ſanguinis?
Neu morte captos cogita, vitae quibus
Magis beatae exordium
Dat dextra, quam dediſſe credis exitum.
Nam quiſquis, o ſuperum parens,
Mortis petitor interit martyr tuus,
Non interit, ſed naſcitur.
Nec Chriſtiano pompa ritu funebris,
Sed nec ſepulcrum defuit:
Mulier virilis roboris, Romae decus,
Pietatis exemplum graue,
Theodora vtrumque praeſtat, a Deo data
Huic muneri diuinitus:
Vrbique prudens tanta ſeruat pignora
Ariniano in praedio.
Eritque tempus, Roma cum reddet ſuis,
Quae nunc negaſti munera:
Longaque rerum ſerie, & annorum vice
Mille & trecentum circiter,
Vetuſtiore ab valle Tarpeij iugi
Ad pulchriorem transferet

Sic Pontifex GREGORIVS (hunc orbi dabit
Bononienſis ciuitas)
Aedes IESV, regio ſumptu ſtruet
Quas inclytus Farneſius
Ornans, iubebit: caelitum accedet fauor,
Hominumque vera gaudia.
At tu bibis qui ſanguinem, & bullis ſcelus,
Titulosque anhelas numinum,
Excuſſus vrbe publici expers muneris,
Vitae peroſus taedia,
Aeſtu doloris mox reluctantem expues
Alimenta flammae ſpiritum.

AD. MARTYRES

ODE. XI

INVICTA proles caelicolum patris,
Qui morte vitam perpetuam breui
Mutaſtis, & terra relicta
Aetherias penetraſtis oras.
Veſtros honores inuiolabiles
Et clara iuſtis tollere laudibus
Stat facta cordi, facta nullis
Fortia temporibus tacenda.
Anguſta quamuis ora cupidini
Tanto repugnant, nec pietas parem
Sortita virtutem Camoenae
Magna timet tenuare paruis.

Vires volentem deficiunt. tamen
Vincat voluntas. ſcilicet audeat
Aequare mortalis piorum
Carmine quos celebrat triumphos.
Sed veſtra nullis in tenebris latet
Ignota virtus, viuit adhuc fides
Mutis ſepulchris, aridoque
Fama viget cineri ſuperſtes.
Telluris omnes omniferae ſinus
Ingreſſa facti gloria perſonat
Aeternum: inextinctum refuſo
Oceano iubar eniteſcit.
Vos cum procellae ſanguinis ingruunt,
Caecaeque nubes vulneribus tonant,
Et fulmina exaudita caedis
Diluuiem minitantur acrem:
Vos cum tyrannorum ira per incitos
Exundat enſes fluminis in modum,
Totusque coniuratus orbis
CHRISTE tuae incubuit cohorti:
Sanctum obtuliſtis peſtiferae caput
Laeti ruinae: mortis atrocia
Temni dolentis tela ridet
Pectus amans melioris aeui,
Calensque CHRISTO. ſcimus vt impius
Obiecta leto corpora libero
Satur cruoris, ſtrage feſſus
Vidit, & obſtupuit ſatelles.
Parantur ignes, & gladij, & ferae:
Martyr ſecatur, manditur, vritur:

Sed

Sed nec cremari incenſa poſſet,
Mortua nec pietas perire.
Namque illa, ventos ceu pelago ſilex
Stat tontumaces frangere pertinax:
Circumque ramis pullulantes
Spargit opes viduata quercus.
Tot namque poenis iuuit inemori,
Et hoſte in vno vincere tot mala,
Saeuasque per flammas, & enſes,
Pandere iter potuiſſe Olympo.
Hic horridarum finis & arbiter
Victoriarum Chriſtus amor ſuis
Lauro coronatis virenti
Laetitiam ſine fine praebet.
Huc & cruenta fortis Abundus &
Fidus miniſter perueniunt via,
Quorum ſeneſcentes beata
Roma cupit renouare honores.

IN. FVNERE. FRIDERICI Karoli Gulielmi F. Cliuiae Ducis Tumulus.

ODE. XII

MORARE. quiſquis. praeteris. & . pellege
Quae. litteris. inſcriptus. hic. te. volt. lapis
Quomque. hauſeris. oculis. acerbum. nuntium
Tum. ſi. tenebis. lacrumas. vere. es. lapis
Heic. magna. lux. & . ſingularis. gloria
Deliciae. amorque. nobilis. Germaniae
Locata. ſunt. vno. petita. fulmine
Heic. Fridericus. Karolus. Dux. Cliuiae
In. quem. viciſsim. contulerunt. munera
Superi. hominesque. liberali. dextera
Raptus. iuuentae. flore. primaeuo. iacet
Iacetque. ſecum. magna. virtutum. cohors
Et. ſi. quid. vſquam. gentium. rarum. fuit
Heic. depoſuit. maeſtus. aeternum. pater
Longumque. maerens. condidit. Germania
Exſanguia. oſſa. ſpiritus. caelum. tenet.
Id. te. ego. volebam. tu. bene. precare. atque. abei

Kaue. Karole. Salue. Karole. Karole. Vale

AD

AD. GVLIELMVM. CAROLI patrem, qui obligatam linguam habere dicebatur.

ODE. XIII

TAndem rumpe pater rumpe ſilentium:
Et nato miſeras exequias age,
Deduc pectore ab alto,
Queſtus heu miſerabiles.
Antehac vocis erat deuius exitus,
Nec linguam licuit ſoluere liberam:
Sed ſuſpiria crebra
Iam voci inuenient viam.
Si linguae potuit frangere vincula
Nato olim pietas, atque metus patris,
Spiramenta relaxet
Nunc patri ob genitum dolor.
Quamuis ille tibi non modo flebilis,
Multis flebilior filius occidit,
Quorum pectora tangit
Simplex relligio & fides.
Hic iuſtus populos luctus habet pios,
Hoc deſiderium curaque non leuis,
Ictu quod cadit vno
Germanum & ſtudium & decus.

 AD

AD. IOANNEM. MORONVM Cardinalem.

ODE. XIV

MORONE ſummo proxime principi
Qui vnus ſupremo proximus eſt Deo,
Longeque princeps o Senatus,
Grande decus, columenque Romae.
Quo me timentem ſplendor agit tuus?
Quo nota virtus, quo rapit arduum?
Cur tollor audax ad propinqui
Lumina ſuſpicienda Solis?
Dicam ne per te magna negotia
Tranſacta regum, compoſitos ſtatus
Tot ciuitatum diſſidentum,
Tamque graues poſitos tumultus?
Dicam ne finem concilio ſacro,
Quo Chriſtianum nomen in exteras
Profertur oras, quo ſuperbum
Aſtra ferit ſuperum Tarentum?
Nam luſtra quod non bis duo, & amplius,
Ingente niſu Pontificum trium
Fecere, paucis dat diebus
Linguaque & ingenium Moroni.
Sic legum habenas, praua licentia
Laſciuientum turpiter hoſtium, &
Peccare probroſe docentum,
Imperiumque pati coacta.

Tu pacis almae tutor & arbiter,
Mens conſulentis prouida curiae,
Maturus annorum, & ſecundis
Temporibus dubiisque rectus.
Vindex auari caſte cupidinis,
Custos piarum ſedulus aedium,
Vtroque & orborum parente
Quos & opes & aui relinquunt.
Quis te ordinanda re bene publica
Priſcaque norma quis ſapientior?
Virtute quis rebusque geſtis
Tergeminae propior tiarae?
Sed conſcius me plura pudor vetat,
Paruaeque tantum Muſa potens rei.
At vos, quibus vena eſt benigna,
Magna modis celebrate magnis.

DE. ROMAE. NOVAE victoria.

ODE. XV

ET QVIBVS *nos te numeris canemus,*
O beatorum generoſa regum
Mater: o ſummi, NOVA ROMA, ſedes
Inclyta patris.
ROMA inextinctae Pietatis aedes:
ROMA ſincerae Fidei magiſtra:

Et

Et nouum genti decus, & ſalutis
Nobile pignus.
Martyrum o felix patria: o beate
Martyrum ſemper cinis, & ſepulcrum:
Martyrum palmis, meritiſque diues
Ara triumphis.
Nomen o ſanctum NOVA ROMA: princeps
Vrbium, & Mundi caput: o colenda
Omnium votis, hilarique ſemper
Voce canenda.
O NOVA, o victrix veteris. Triumphe.
Vincis, en vincis NOVA. Io triumphe.
In NOVAE laudes noua Chriſtiani
Flectite verba.
Diſce iam vinci VETVS, & recenti
Cede. Tu victrix, refer vnde vincis
Gratias CHRISTO: fuit ille tanti
Auctor honoris.
Ille te ſaxo ſtabilem locauit,
Et coli immotam dedit: ille terris
Eſſe te lumen voluit; ſuoque
Limen Olympo.
Ille ad hanc grata vice te regendam
Legit, o cuſtos hominum, paterque
GREGORI, & longum viridis ſenectae
Prorogat aeuum.
Nos diu vt praeſis bone rector vrbi:
Nos diu vt praeſis bone paſtor orbi:
Menteque & laetos referente cantus
Voce precamur.

EX. ARISTOTELIS. HYMNO De Virtute.

ODE. XVI

VIRTVS quietis neſcia languidae,
Decora virgo, ſemper amabilis,
O dulce ſolamen laborum,
Atque operum generoſa merces.
Te propter vnam pulchra petentibus
Dura expetuntur, dum fera pectore
Indefatigato frequenter
Proelia ſuſtinuiſſe gaudent.
Te namque felix gloria tempore
Delenda nullo conſequitur magis
Auro refulgens, cui parentum
Cedat amor, facilisque ſomnus.

COLLEGIVM. ROMANVM Anagrammatiſmus

ANGELO. MIRVM. LOCVM

ODE. XVII

Ad Sodales.

AMICE ſi te cura Romani coquit,
In quo manes, Collegij:

Tecumque

Tecumque quaeris illius quid nominis
Traiecta reddat littera:
Vide quid expiſcatus ipſe vno impetu
Breuique puncto temporis.
Probas? habebo gratiam, & amorem tuum
Agnoſſe dicam libere.
Si rectius quid inuenis (& plurima
Hoc rectiora inueneris)
Per vincla te communia, imperti, rogo
Tuo fruamur munere.
Hoc dum paras ROMANVM habe COLLEGIVM
Vel ANGELO MIRVM LOCVM.

IGNATIVS. DE. LOIOLA
Anagrammatiſmus

O. IGNIS. ILLATVS. A. DEO

ODE. XVIII

CVM DEVS e nihilo mundū diſcluſit, & orbē
Terrae polumque condidit,
Inſeruitque homines terris, & ſidera caelo:
Vt parte ab omni nobile
Daedala quod magni tornarat dextra parentis
Opusque perfectum foret:
Humanis animis caeleſtia ſemina flammae
Citosque motus indidit:

Ne ſacra degeneri torperent corda veterno
Adſtricta, vel pigro gelu:
Sed magis ad Superos facili ſe tramite ferret,
Totoque mentis impetu.
Vidit & inuidit caelo taeterrimus hoſtis
Exactus in caecos ſpecus:
Et grauis aggeſtu terrae conſopijt ignem,
Ac mole clauſit ſaxea.
Hinc anima haerebat terris lutulenta velut ſus
Et ſerua & hoſpes corporis:
Atque oppreſſa graui ſub pondere merſa iacebat
Tenebricoſo in carcere.
Non tulit hanc ſpeciem rerum mitiſſimus auctor
Operiſque ſeruator ſui.
Et ſimul in terras aeternos rettulit ignes
Delapſus alto ab aethere:
Vt flammam imbiberent mentes, caſtasque medullas
Diuinus intraret calor.
Hinc onere excuſſo & tenebris mortalis origo
Recreata ſuſtulit caput:
Coepit & aetherias arces ſperare, ſuamque
Hereditatem cernere.
Sed tamen in peius potuerunt lapſa referri
Iniquiora tempora:
Atque iterum deſaeuit hiems, craſſumque rigorem
Penetrale frigus intulit.
Has etiam, vt voluit rebus ſuccurrere feſſis,
Miſeratus aerumnas Deus:
Ne miſera horrendam patiantur ſaecula noctem,
Et foedus obcaecet nigror:

Inſignem

Inſignem virtute virum & praeſtantibus auſis
E bellicoſa Iberia
Extulit. hic dudum ſopitos ſuſcitat ignes,
Et nomen euentu probat.
Namque putem inſtinctu Superum monituq. parẽtes
Nomen dediſſe IGNATIO:
Vt prius aeſtifera conceptum mente vaporem
Lumenque terris diuidat.
Magnaque de tenui veniant incendia flamma,
Ac multa inardeſcant face,
Eq. mari Heſperio rubicundi Solis ad ortum
Lucemque & ignem differant.
O magnum decus hoc aeui. Tu IGNATIVS ille es
ILLATVS. IGNIS. A. DEO

AD. PETRVM. MAGNVM auctorem libri de conſilio.

ODE. XIX

VICTVS es tandem precibus potentum,
Abdita vt longum veniant in auras,
Magne, quae ſcribis nimium vetuſtae
Aemula laudis.
Arte ſeu mira dociles monendo
Inſtruis mentes, acuisve linguas,
Seu pedem, greſſus vbi fixit altos
Pindarus, infers.

O nouum ſaecli decus : o Latina
  Gloria aeternis celebranda chartis,
  Quas ferant olim voluiſſe doctae
    Mittere Athenae.
Perge iam tanto ſtudio retentas
  Res dare in vulgus. ſimilis carenti
  Eſt opum parcus. bona liberalis
    Perficit vſus.

DE. OBELISCO Vaticano.

AD. VRBEM. ROMAM

ODE. XX

VRBS ALMA, terras cui Deus e domo
Late regendas ſiderca dedit,
Saxoque fundatum vetuſto
Imperium ſine fine ceſſit.
O et ſuperbis ſemper honoribus
Aucta et triumphis, magna petentium
Quos duxit ardor, barbarcrum
Altior vt fieres ruinis.
Iam mitte gentis nomen inutile
Iactare priſcae, nec ſolidum decus:
Functa vix partam per arma
Mitte leuem celebrare laudem.
Nouos honores accumulat tibi,
Nouos triumphos aſſerit optimus

Sixtus MARIAE cura matris
Virginis, atque Dei ſacerdos
In orbe ſummus. Nonne vides prior
Vt cedat illi gloria Caeſarum?
Seu ducit alto flumen arcu,
Siue vijs ſpatia ampla laxat:
Neglecta ſeu quae delituit diu
Molem extrahit molimine plurimo
In lucem apertam, haerente paſſim
Atque oculis inhiante vulgo.
Quin & virorum mentis acumine,
Et quiſquis alta praenituit fide,
Dum magna fiunt iuſſa, quantum
Relligio pietasque poſſunt.
Iubentis, inquit, pectore ab intimo:
Aeterna noſtri gloria ſaeculi
O Sixte, qui Chriſti trophaeo
Subijcis Aeneadum triumphos:
Et Chriſtianos qui deceat ſtatus,
Praeſcribis, orbem legibus inſtruis,
Donisque recte facta tollens,
Crimina ſupplicijs coërces.
Tu Roma, facti quo maneat fides,
Nomenque nullo non memorabile
Auctoris aeuo, inciſa Quinti
Adde notis monumenta Sixti.

DE

DE. SANCTO. IACOBO Apoſtolo Hiſpaniarum patrono.

HYMNVS. I

DEFENSOR alme Hiſpaniae
Iacobe, vindex hoſtium,
Tonitrui quem filium
Dei vocauit filius.
Huc caeli ab altis aedibus
Conuerte dexter lumina,
Audique laeti debitas
Grates tibi quas ſoluimus.
Tu, caeca nox, atque impia
Nos cum teneret vanitas,
Lucem ſalutis primitus
Oris Iberis impetras.
Freti tuo nos pignore,
Largum tuo te munere
Rogamus omnes, vt tuae
Spe protegas praeſentiae.

DE. EODEM

HYMNVS. II

IESV ſalus mortalium
Nobis ades dum dicimus
Laudes patrono Hiſpaniae

Tuam

Tuam canentes gloriam.
Laudandus hic eſt vnice,
Quod primus in certamine
Apoſtolis ex omnibus
Pro te profundit ſanguinem.
Tui beatus pluribus
Notis amoris maximi,
Quod teſtis vſque interfuit
Reconditis myſterijs.
Seu vi potentis dexterae
Surgit Iairi filia,
Quando in paternis aedibus
Eſt excitata ab inferis.
Seu vultus vt Sol ſplendidus,
Et veſtis vt nix candida
Thaboris alto in vertice
Signum tuae dant gloriae.
Seu monte oliuis conſito
Angoris eſt index tui
Sudor tuo de corpore
Ceu gutta manans ſanguinis.

IN. TRANSLATIONE. SS. Abundij & Abundantij, e templo SS. Coſmae & Damiani, in aedem nouam Societatis Ieſu.

HYMNVS. III

PAR PVRPVRATVM martyrum,
Conſors beati nominis,
Compos peremnis gaudij,
Exors piandi criminis.
Terreſtre ſidus aureum
Caeli nitore pulchrius,
Vrbs vnde lumen omnibus
Romana terris diſſipat.
Satis vetuſtum fornicem
Veſtris ſacraſtis oſsibus,
Templumque raro conſcium
Multis teri veſtigijs.
Ad vrbis hanc frequentiam
Nouique templi verticem,
Patris vocatu maximi,
Iam, ſi placet, concedite.
Hic plebi adeſte ſupplici,
Et vota donis vincite,
Precum fruatur commodis
Fuſas prius quam ſentiat,

Gentem,

Gentem, patroni, Romulam
Apud Deum defendite,
Veſtro rogantum munere
Omni bono circumfluat.

IN. TRANSLATIONE. RELIQUIARUM S. Sympheruſae Tiburtinae.

HYMNVS. IV

VRBS clara priſco ſanguine,
Ipſaque Roma antiquior,
Et pace & armis inclyta
Ocellus orbis Itali.
Extolle pulchrum verticem,
Profunde lymphas largiter,
Laetoſque pompa nobili
Effunde coetus ciuium.
Tuamque ciuem maximam,
Sponſam Getuli martyris
Septem beatam filijs
Nunc Sympheruſam ſuſcipe.
Haec poſt pericla plurima,
Longumque & atrum carcerem,
Ad Chriſtianae ducitur
Profeſſionem gloriae.
Moles repente ſaxea
Sacro alligatur vertici:

Chriſtum ipſa tollens laudibus
Amne in profundo mergitur.
Statim relicto corpore
Ad aſtra fertur ſpiritus,
Hic palmae adeptus praemia
Laetis triumphat gaudijs.
Vrbs Roma ſola eſt hactenus
Gauiſa ſanctis oſſibus,
Orata ſed nunc Tiburi
Partem remiſit patriae.
Te Sympheruſa, & coniugis
Felix honore & liberum,
Nunc obſecramus, vt tuae
Semper memor ſis patriae.

IN. EADEM

HYMNVS. V

RECTOR ſupreme caelitum,
Et dux ſacrorum martyrum,
Huc ad preces Tiburtium
Aurem benignus admoue.
Sit fas tuorum munerum
Partem referre paruulam,
Vt mente laeta ac ſupplici
Grates agamus debitas.
A te datore ſcilicet
Vrbis ſitum pulcherrimum,
Caelum ſalubre agnoſcimus,

Solumque

Solumque frugum fertile.
Magna haec: ſed illa maxima,
Ad quae relictis ceteris,
Iuſtis repleti gaudijs,
Luce hac canenda pergimus.
Lux ecce fulſit annua,
Qua Sympheruſa filijs
Septem decora vt Solibus
Auxit choros caeleſtium.
Hoc nempe praeſtat omnibus,
Noſtris fuiſſe e ciuibus,
Quibus tuo pro nomine
Vitam dediſti vt funderent.
Accedit his ſollemnijs,
Complura quod poſt ſaecula
Delata matris ſegmina
Romana ab vrbe viſimus.
Tu nunc tuorum martyrum
Noſtrum rogatu ciuium,
Fac eſſe nos, vt poſcimus,
Partem tuorum ciuium.

IN. TRANSLATIONE. CORporum ſanctorum Zamae & Fauſtiniani Bononiae Epiſcoporum,

HYMNVS. VI

O QVAE docendis artibus
Et diſciplinis optimis
Magiſtra es orbis Itali
Bononienſis ciuitas.
Mater virorum fortium,
Mater ſacrorum praeſulum,
Qui Chriſtianam gloriam
Terras per omnes diuidunt.
Vrbs, orbis vnde Pontifex
Ter ortus: vnde vertice
Gemmisque & auro duplicem
Caeſar coronam ſuſtulit.
Extolle circum turribus
Victricibus cinctum caput,
Trans eruditas porticus
Pulchros lacertos porrige.
Patrum tuorum corpora,
Quae pompa ducit nobilis,
Zamae beati, & ſupparis
Fauſtiniani amplectere.

Hi ſunt, tibi qui primitus
Chriſti extulerunt lumina,
Hi ſanctioris dulcia
Vitae attulerunt commoda.
Et hic, & ille, pectora
Soluit malis erroribus:
Et hic, & ille candida
Pietate mentes imbuit.
His tende palmas ſupplices,
Hos inuoca in preces tuas,
Horum verere pignora,
Et tolle ad aſtra nomina.
At vos benigni praeſides
Augete veſtra munera:
Vobis patronis omnia
Bona affluent Bononiae.
Zama o ſalutem mentium,
Et ſanitatem corporum:
Pacem tuere, & diuitem
Fauſtiniane copiam.

IN. TRANSLATIONE. RELIQUIARUM ſanctorum Simpliciani, Benigni, Geruntij, Siſinnij, Alexandri, Martyrij.

HYMNVS. VII

SANCTI piorum ſpiritus
Non parua pars caeleſtium,

Quorum

Quorum beatis oſſibus
Triumphat alma Inſubria.
Huc caeli ab axe lumina
Ad membra veſtra flectite,
Quae caſta ſupplicatio
Auguſta in aede collocat.
Seu vos fideli pectore
Gregi aſſidentes credito,
Opima fertis paſcua,
Furem lupumque auertitis.
Seu caritate feruidi,
Fideque pura, ad aureas
Sedes Olympi ſemitam
Sparſo cruore ſternitis.
O qui parem Geruntio,
(Quando ſacrum mens integra,
Simplexque nomen praetulit)
Es conſecutus gloriam.
Tu cui datur diuinitus
Humanitate & moribus
Nomen rei praenuntium
Benci Benigne vincere.
O Martyri, qui martyrum
Es additus conſortio,
Siſinni, Alexander ſimul,
Qui aeterna fertis praemia.
Hic iuncta quando corpora
Iunctis nitent honoribus,
Bene vt ſit omni Inſubriae
Precemque opemque iungite.

DE. SANCTO. DIDACO

HYMNVS. VIII

REGNATOR alme ſiderum,
Pater piorum pauperum,
Caeleſtium quos munerum
Tecum potentes efficis.
Te, dum beati Didaci
Laetos honores annuo
Ritu nouamus ſupplices,
Nobis adeſſe quaeſumus.
Secutus hic veſtigia
Impreſſa FRANCISCI pede,
Vitaeque amorem ſimplicis,
Caeli potitur gaudijs.
Haec inter ille iugiter
Noſtros labores reſpicit,
Tuaque te pro eccleſia
Preces profundens inuocat.
At tu pias qui pauperum
Preces rogantum ſuſcipis,
Iam te benignum Didaco
Mitemque nobis exhibe.

DE. EODEM

HYMNVS. IX

O SACRVM caeli decus, o beate
Didace, Hiſpanae noue fulgor orae,
Sol ab occaſu veniens, vt orbem
Lumine luſtres.
O viros inter numerate, virtus
Quos tulit caelo pia, qui ſecuti
Signa FRANCISCI voluere ſanctam
Ducere vitam.
Caelitum mores imitate ſemper,
Semper irriſor ſapiens honorum,
Exequi ſemper celeri parate
Pectore iuſſa.
Te licet, quo te magis in latebras
Abdis, humanam fugitasque laudem,
Hoc magis tollit Deus, & ſupremis
Inſerit aſtris.
Ilicet durae tua membra morti
Sunt data, & paruo recubant ſub antro,
Sed tamen nullum patiuntur atri
Funeris ictum.
Ergo & integrum ſine labe corpus,
Vixit vt quondam ſcelere expeditum,
Ceu leuem ſomnum capit, & ſepulcrum
Turba frequentat.
Hinc opem poſcit miſer, hinc leuamen

Cura quem vexat grauis, hinc ſalutem,
Nulla quem ſanat medicina, in ipſo
Limine leti.
Vos ego hic teſtes generoſi Iberi
Inuoco, & late dominans Philippe
Non minor magno patre, ter potentum
Maxime regum.
Audit hoc Quinti pia cura Sixti
Cui replet mentem Deus, & locatum
Didacum in coetu Superum probante
Praedicat orbe.
Supplices nunc te (quia fas) precamur,
Didace, oranti populo benignam
Dexteram praebe facilis, precesque
Accipe noſtras.

Finis Libri ſecundi.

FRANCISCI. BENCII
E. SOCIETATE. IESV.
CARMINVM
LIBER. TERTIVS

DE. GREGORIO. TERTIODECIMO
Pont. Maximo Romani Collegij fundatore.

ELEGIA. I

GREGORIO grates agimus: ſecedite curae:
Gratia cum feſto carmine laeta veni.
Tota nitens ſimplexque veni: decet eſſe nitentem,
Terrarum domino ſiqua placere cupit.
Talem te Petro memorant hac vrbe recepto,
Aeterno laudes concinuiſſe Deo:
Artibus vt Simon magicis deluſus ab alto
Decidit, & ſparſo ſanguine tinxit humum:
Victoremque Petrum caſu teſtatus acerbo,
Quas meruit poenas impia lingua dedit.

Hactenus anguſto tenuit ſe limite coetus,
Qui ſtetit in parua plurimus ante domo:
At nunc prolatis fundatur finibus aedes
Amplior, & tecti ſuſpiciendus honor.
Aſpice congeſtos lapides, & diruta tecta,
Et ſola vicino continuata foro.
Aſpice: iam noſtris patet area ſedibus illa;
Gymnaſium fuerit, qua fuit ante via.
Atque vbi iucundis gaudebunt otia Muſis,
Pectore anhelanti duxerat aera faber.
Hic vbi ſub ſaeuo gemuerunt marmora ferro,
Aſſueſcet facilis diſcere recta puer:
Hic vbi formandum ingenium ſub voce magiſtra eſt,
Artifices lignum perpoliere manus.
Extruit hic Sophiae & Pietati templa ſacerdos,
Optimus ille hominum, proximus ille Deo.
Proferat vt CHRISTI imperium, terrasq. per omnes
Iam leue ne quiſquam ferre recuſet onus.
Hic iuuenum ſanctas exercebuntur in artes
Deuota aeternae pectora militiae.
Vnde ſalutaris fidei praecepta ferentes
Audiet aduerſo cardine vterque polus:
Quo matutinus dimittit Lucifer ignes,
Quo veſpertinus conuocat orbe faces.
Nulla fides vmquam terris naſcetur in illis,
Si fidei non ſint ſemina iacta prius.
Verba fidem pariunt, animorum haec abdita pandunt:
Nec niſi quis doceat, diſcat vt alter erit.
Sponte ſua doceat nemo. Mittantur oportet,
Qui feriant forti pectora iuſſa ſono:

Captiuos

Captiuos rapiant homines, deſuetaque corda,
Atque iterum errantes ſub iuga ſacra vocent:
Accendantque animos dulci virtutis amore,
Ad ſuperos tutam quae parat vna viam.
Sed ſpes deſtituet, pleno licet extet aceruo
Iacta ſeges, crebro ni renouetur ager.
Hic tibi GREGORIVS fecundos conſerit agros
Omnis vt ex illis fertilis annus eat.
Hinc capiet plenis indeficientia ſulcis
Semina, quae large credita reddet humus.
O vtinam longae fungatur munere lucis,
Exigat & placidos tempus in omne dies:
Laetatusque ſuis opibus, ſanctisque repertis
Proſpiciat gentes ad ſua iure trahi.
Quod volumus, Deus ipſe dabit. quod poſſumus, ecce
Conamur tenues. & voluiſſe ſat eſt.
Aedibus in medijs ſolido ſpectabitur aere
Tanti maieſtas conſpicienda viri.
Hic inciſa notis hoc reddet littera carmen:
GREGORIVS cuſtos, GREGORIVSQ. pater.
Ipſe ſuum paſtor circumſpectabit ouile,
Et quae plena ferent vbera lactis oues.

Carpit & in media nocte viator iter.
Non iuga Viminei reticentur deuia collis,
In varias quae nunc ſunt patefacta vias.
Hinc ſacras aedes veneratur turba Quiritum,
Nec dubiam a ſuperis ſedula poſcit opem.
Quin etiam tanto reddit pro munere grates,
Terrarum quod ſit credita cura tibi.
Et meminiſſe iuuat, quae circum obſederat oram,
Depulſam per te protinus eſſe famem:
Theſauris per te munitam ingentibus arcem,
Quos poſthac vlli ſit tetigiſſe nefas.
Illa quidem tam multa canunt: ſed plura parantur,
Pro quibus oratur longa ſenecta tibi:
Seu Pontina palus Volſco ſiccatur in agro,
Fornice ſeu longo ducitur amnis aquae:
Seu potius Turcarum acies, motusque rebelles
Frangere, & in capto vis dare iura ſolo.
Hinc mare nauigijs vndabit, milite campus,
Et procul auſpicijs caſtra mouenda tuis.
Rapta dein templo figentur ſigna vetuſto,
Cui nouus acceſſit nunc obeliſcus honos:
Aduectus quondam Pharijs obeliſcus ab oris,
Cum mare contextis ſenſit onus ratibus.
Quoq. prius firmata loco, ſtetit ardua moles
Neglectae in ſpeciem, delituitque diu:
Hic vbi falſa olim fundebant carmina vates,
Et media circus valle Neronis erat:
Hic caelum aſpexit, populo cum triſte tyrannus
Exitium inſonti ſuppliciumque parat.
Quis ſcit, an & caſto fuerit madefacta cruore,

Cum pia gens ducta eſt ad genus omne necis?
Forſitan & Petri vidit languentia membra
Ad terram obuerſo vertice fixa cruci.
At modo, quam melius celſam videt area Petri,
Cum pateat iuſſis conſpicienda tuis?
Quam melius ſublimis apex venerabile ſignum
Extulit, vt flectat plebs venerata genu?
Quam melius conuerſus honos, ratioque locorum,
In medio poſitam quam decet eſſe foro?
Scilicet, huc toto quiſquis properabit ab orbe,
Vt pedibus poſſit ſuccubuiſſe tuis:
Atque auctam vidiſſe vijs, & fontibus vrbem,
Ornatamque magis quam coluiſtis aui:
Omnia collaudans, verba inter ſingula, Sixtum
Non intermittet concelebrare patrem.
Viue diu, repetet, princeps gratiſſime caelo:
Ipſe Deus coeptis conſilijsque fauet.
At tibi cum ſuperam Chriſtus Deus annuet arcem,
Et benefactorum praemia digna feres:
Tunc, veluti caput excelſas obeliſcus in auras
Tollit, & aeternum ſuſpiciendus erit,
Sic tua, ſancte Pater, virtutum nomina tollet
Gloria, non vllo deperitura die.

DE. SACELLO. EXQVILINO quod Hieronymus Badeſius verſu heroico ſcripſit.

ELEGIA. III

NOBILE Pontificis Sixti pia cura ſacellum,
Quo veteres regum vincere tendit opes.
O praeſepe, Dei cunabula, conſcia partus
Virginei, & Superum concelebrata choris.
Vos ne ab Idumaea Romanae detulit vrbi,
Longam vos Pietas fecit inire viam?
Et tandem exquilijs poſuit, qua tollitur aedes
Virginis, & colitur matris in aede Deus.
Fortunata aedes, cuius formamque modumque,
Et ſpatia, & pulchris atria porticibus
Non hominum potuit ſollertia dicere, ſed vos
Quas Deus aeſtiuo miſit ab orbe niues.
Scilicet hanc ſedem virgo ſibi mater in vrbe
Legerat, hic primam iuſſerat eſſe domum.
Nec mora, cum Romae violentior incubat aeſtus,
Et canis arentes findit biulcus agros:
Nocte ſuper media liquido nix plurima caelo
Labitur, & certo limite ſignat humum:
Deſignatque ſacrum paries quem finiat orbem,
Et queat impoſitum ſuſtinuiſſe tholum.
Conditur hic templum Phrygijs ſublime columnis,

Atque

Atque ebore atque auro tecta ſuperba nitent.
Hic praebet pia mater opem, praeſensque rogantum
Reſpicit, & caſtos excipit aure ſonos.
Confluit huc tota populus ſimul excitus vrbe,
Confluit huc tota fuſus ab orbe procul:
Confluit huc celebrans diuortia lata viarum:
Pontificis iuſſu nam patuere viae.
Nec minus exciſo extollit quae flumina monte,
Tramite per montem proſiluere cauo.
Quaq. lapis fuerat, trepidantes aſpicit vndas,
Oraque Felici mergere geſtit aqua.
Tenditur ad Mariae, cuius prope limina templi
Vertice ſideream fers obeliſce crucem.
Hanc ſimul aſpexit, procul adſtitit, & noua ſumens
Gaudia ſolicitas concipit ore preces.
Quin & iam facilem genibus perrepere collem
Laetatur ſtudio femina virque pari:
Et cupide ingreſſi viſu mirabile templum,
Attoniti ſubito diriguere metu.
Relligio facit ipſa metum. Dein pronus ad aram
Quilibet aeternum procidit ante Deum.
Poſt paulo, quo quiſque abijt, quo lumina vertit,
Perfruitur viſu mens, capiturque locis.
Hic matris capit effigies, quae dicitur olim
Pontifici abſciſſam reſtituiſſe manum.
Hic, quia marmorea gemini requieſcitis arca
Conſortes, quorum conſtitit aere domus.
Hic, quia ſanctorum cineres caeleſtia dona
Oſſaque cuſtodit relliquiasque virum.
Hic, quia Pontificem candenti marmore reddit,
Gloria

Gloria Picentum qui fuit ante ſoli:
Donum Sixte tuum media teſtudine templi:
O patriae, o gentis nunc decus omne tuae.
Nec tamen hic finis. Rapit hinc genitricis imago,
Cui Deus in gremio dulce reſedit onus.
Illius exemplum caelo veniſſe ſupremo
Creditur, hoc Lucae docta imitata manus.
Saepe illinc meminit votis expoſcere pacem
Roma timens, magni dum tumet ira Dei:
Saepe eadem offenſi ſuperatam numinis iram,
Nec fuſa in caſſum vota fuiſſe refert.
Seu foret annus inops, ſeu bellum, ſeu fera peſtis
Sterneret innumeros Morte furente greges.
Salue o ſancta parens, hominum fidiſſima cuſtos,
Vna ſalus miſeris, praeſidiumque malis.
Cetera praeteream. Tua ſed cunabula Chriſte,
Sit modo fas, humili voce animoque colam.
Huc feror, huc gradibus decliuibus. Hic ego ſupplex
Multa feram multis oſcula cum lacrimis.
Hoc ne igitur teneris primum vagitibus antrum
Ingemuit, dederat quos Deus ore puer?
Hic Deus in medio glacialis frigore brumae,
Hic naſci voluit nocte ſilente Deus?
Vilibus hic molles pannis circumdatus artus
Pertulit hoc duro decubuiſſe toro?
Vos ne etiam dominum, vos muta animantia veſtrum
Noſcitis, ignoto dum iacet in ſtabulo?
En, video, huc properant ſtimulis communibus acti
Paſtoresque ouium, caelicolumque chori.
Hi nitidas feſtis implent concentibus auras,

Hi trepidi ad puerum munera parua ferunt:
Ruſtica dona ferunt, agnam, fetumq. capellae,
Quiq. breui obriguit lacteus orbe liquor.
Aſpicit hos virgo, ſed cuſtos virginis illa
Accipit, ad teneros hi ſubiere pedes.
Fallor? an ex ALTO micuerunt lumina MONTE,
Et tremulum pandit STELLA coruſca iubar?
Nec procul apparent quos fulgens purpura reges
Indicat, & comitum magna ſecuta manus:
Et iam theſauros ultro ſua dona recludunt,
Quas & opes gremio diuite fundit Arabs.
Hinc magnum in paruo venerati corpore numen,
Qua ventum eſt, aliam corripuere viam.
O ego quam vellem totas hic ducere noctes,
Quam vellem hic totos delituiſſe dies.
Non me ſomnus iners, non me dapis improba cura,
Taedia non hinc me longa mouere queant.
Iam quid agam? Subiere alij, concedere par eſt,
Et qui me, plures hic Deus vrget amor.
Nam velut in fluuio celer vnda ſuperuenit vndae,
Altera ſubſequitur, praeterijtq. prior:
Haud aliter veniunt coetus, abeuntq. viciſſim,
Occupat hic auide, deſerit ille locum.
Huc pia turba venit, templum miratur, & una
In Sixti laudes ambitioſa ruit.
Viſitur hic facies cultu ſpectabilis aedis,
Aureus hic fornix, marmoreumq. ſolum:
Regificum memoratur opus, quaeq. arte magiſtra
Picta ſuis viuunt corpora imaginibus.
Maxima pars vna iunctos ueneratur honores

Sixte

Sixte o Quinte tuos, o Pie Quinte tuos.
Namque Pio monumenta videt pulcherrima Quinto,
Quae tuus exciuit Sixte peremnis amor.
Adde, quod & cultis haec addita cura poëtis,
Vt meritas laudes & tua facta canant.
Sed licet ingenijs certent ac diuite vena,
Materiae quamuis nobile ceſsit opus.
Cerneris hos inter vates operoſe ſacelli
Et canis heroo carmina fulta pede.
Certe erat illud opus celebrandum carmine: ſed tu
Qui tali efferres carmine dignus eras.

AD. CAMILLVM. PALAEOTVM
De Arientina eius villa.

ELEGIA. IIII

O ARIENTINAE ſedes placidiſſima villae
Curarum domino portus amice tuo:
Seu requiem quaerat, ſeu caris otia Muſis
A ſtrepitu longe ſepoſuiſſe velit.
Sapina quam propter tacitis leniſſima lymphis
Profluit, vt riguo gaudeat amne ſolum.
Hic vbi odorata laurus ſeſe explicat vmbra,
Et virides mollis ventilat aura comas:
Ver vbi perpetuum gemmantia prata colore
Pingit, & arguto gutture cantat auis:
Cantat auis circum omne nemus, ſiluaeque loquuntur,
Et facilis vario flore renidet humus.

Hinc eadem in collem protento vertice ſurgit,
Porrigit hinc lato pectore planiciem.
Hinc tendit ſpatioſa manus, & plurima caeli
Accipiens grata munera ſeruat ope.
Hic ſmilax calyces, edera illic laeta corymbos
Extulit, hic cilices promicuere croci.
Et frutices ludunt variae ſub imagine formae,
Incertasque ineunt herbida texta vias.
Hic baccas oleae propius geſſere feraces,
Rideat vt ſeris fructibus annus iners.
Nec procul aſpicias ſilueſtrem pampinus vuam
Qui tegit, erranti cum petit alta gradu.
Illa viden longe Cypariſſi brachia tollit
In metae faciem conſpiciendus apex.
Et piceae pinusque vigent, affixaque ramis
Pondera non vmbra luxuriante ferunt.
Nec deſit folijs, & pomis vtilis arbos,
Quam poſito eduxit germine docta manus.
Siue ea quam proprijs nutriſti Felſina in oris,
Felſina doctorum magna magiſtra virum.
Extera ſiue nouo tellus quam miſit ab orbe,
Dum dominae Italiae cognitus auget opes.
Sic Arientinae natura indulſit, vt apto
Semina ſuſcipiat reſtituenda ſinu.
Haud facile inuenias tam laeti ruris honores,
Qui ſegetem tanto fenore reddat ager.
Vnde auidis non ſolum oculis ſpectacula praebet,
Scena ſit vt nulli pulchrior vlla loco.
Dona etiam menſis fert exoptata ſecundis,
Quas potis & dulci concelebrare mero.

Dum varijs conuiuae explent ſermonibus aures,
Quas tibi dicenti ſaepe dediſſe iuuat.
Docte CAMILLE, aeui merito pulcherrima noſtri
Gloria, quam ſemper poſtera ſaecla canent.
Tu ſapientum artes, doctrinarumque reperta
Dulciter inſigni cum Cicerone refers.
Tu mores multorum hominum, tu digeris vrbes,
Quid tulerit praeſens, quidve vetuſta dies.
Germanum ſic ſaepe tuum, dum conſulit orbi,
Concilio in magno purpura ſacra probat.
Verba fluunt illi pleno de pectore, quales
Rupibus ex altis Sole liquante niues.
Scilicet & patres pendent GABRIELIS ab ore,
Et miſſum aetheria ſede fuiſſe putant.
Ille docet, Gallum quae ſit via certa rebellem
Vincere, ne quatiat ſceptra ſuperba manu:
Quae ratio vnanimes proceres, & ſancta iuuandi
Foedera, queis cordi non violata fides.
Quid tibi, iam felix, & diues Gallia quondam,
Nunc miſera, atque hoſti vel miſeranda tuo:
Quid tibi ſubſidium, quid poſſit ferre ſalutem?
Te quia tot circum proelia acerba ſonant.
Quo pietas, quo vera fides, heu Gallia, ceſſit,
Heu, quo pro meritis cognita Roma tuis.
An ne erit, vt priſcos reuocet concordia ritus,
Et ſacra, quae pridem caſtus alebat amor?
Sic o, ſic ſuperi veteris miſereſcite regni;
Quod diuerſa ferus traxit in arma furor,

IN. FVNERE. M. ANTONII Mureti iunioris.

ELEGIA. V.

HOC IGITVR MVRETE minor poſt funera magni
Iam reliquum vt nobis tu rapereris erat:
Et tua, nondum etiam patrui poſt funera, ſiccis
Aſpectaremus funera luminibus:
Funera quae ad lacrimas tigres cauteſque mouerent,
Cautibus & ſi quid durius eſſe poteſt?
Et cui non longo tabeſcant lumina fletu,
Quis lacrimas gemino fundere fonte neget,
Cum iuuenem videat primaeuo in flore iuuentae,
Cui nondum molles ſparſerat vmbra genas,
Ad tumulum efferri, claudi ſqualentibus vmbris,
Cum ſuper impoſitus condidit oſſa lapis?
Heu heu quis triſti non ſcindat pectore veſtem,
Heu quis luctifico non ſecet vngue genas?
Cui pudor intonſum fuerit geſtire capillum,
Et ſparſum informi puluere habere caput.
Qui mores Murete tuos ſenſuſque viriles
Et maturum animi iudicium meminit:
Et meminit, tibi quae fluerent de pectore dicta,
Quam ſuper aetatem prouidus ante fores.
Et cui notus eras, cui non mirabilis eſſes,
Quin cuperet viſu colloquioque frui?
At tu virgineo contingens ora pudore
Mirus eras, quamuis pauca locutus eras.

Pauca loquebaris, ſed quae pro pluribus eſſent,
Et morum exprimerent ingeniíque bona.
Diuitias poſſent vtriuſque oſtendere linguae,
Attica ſiue tuas, ſiue Latina tuas.
Quid quod & arguta flectebas carmina voce,
Et tua Pierius contigit ora lepos?
Quod leuibus digitis pulſabas organa, dulcem
Auribus vt facerent organa pulſa ſonum?
Quod puero egregias artes, quas docta Matheſis
Traderet, intento diſcere ludus erat?
Nil in te puerile fuit: non otia, non te
Ludicra, non blandi detinuere ioci.
Scilicet hoc animo, tam multa nobilis arte
Occidis ante diem, qui ſapis ante diem.
Sed quid ego ante diem dixi, cui debile quamuis
Inficeret nondum cana ſenecta caput,
Nec dum etiam tenera ſtarent lanugine malae,
Sed neque adhuc aetas florida ver ageret:
Sed tamen & graue iudicium, pietasque ſenilis,
Canaque matura relligione fides,
Eximere e iuuenum numero potuere, ſenemque
Dicere, dein ſuperis inſeruiſſe choris?
Et meminiſſe iuuat, pietati vt deditus eſſes,
Sedulus vt caſtas exequerere preces.
Quam Maria, & Chriſtus, quiq. illi proximus vnus
Dicitur in ſancto procubuiſſe ſinu:
Eq. ſacro largos recubantem hauſiſſe liquores
Pectore, queis veterum proluit ora virum:
Quam tuus aligerum e coetu cuſtosque comesque
Viſcera diuina tangeret uſta face.

Quam ſolitus contemptae inopum miſereſcere vitae,
Quam cuperes illis ferre frequenter opem.
Quamquã animum magis obſtrinxit priuata parente,
Dotis & auxilio ſiqua puella fuit.
Hanc cupere aiebas iuſta cum dote marito
Iungere in aeterni foedera coniugij:
Seu potius deuota ſacris, vinclisque ſoluta,
Sanctae vt ſeruaret iura pudicitiae,
Et matutinas iteraret carmine laudes,
Solueret & grates nocte dieque Deo.
Quin etiam ſermo tibi multus in ore locorum
Eſſent virtutis quae monumenta piae:
Hic vbi pauperies reperiret languida portum,
Mortuave effoſſae ſubijceretur humo.
Haec animo pietas, haec menti infixa cupido,
Plurimus hic circum pectora fulſit amor.
Omnibus his certum, ſi firma adoleſceret aetas,
Praeſidium, & columen grande futurus eras.
Haec dedit eueniſſe Deus, cui grata voluntas
Illa, nec in longum tam pia vota tulit.
Nam tua cum ſaeuo languerent corpora morbo,
Iam iamque inijceret mors violenta manus:
Sponte tua Chriſtique memor melioris & aeui
Haec voce extrema teſtificatus ais.
Chriſte pater, tu ſume hanc animã, tibi reddimus illã,
Quae quondam eſt pretio ſanguinis empta tui.
Ipſa quidem indignam ſeſe, & peccaſſe fatetur
Plurima: perfundit conſcius ora rubor.
Sed tu qui veniam ſpondes mitiſsime iudex,
Ne mihi, ne differ ferre rogatus opem.

Per

Per te, per magnum caſtae genitricis amorem,
Perque pios coetus, & tua regna, rogo.
Ne temne hanc venientem animã, miſerere precãtis,
Excipe pacato tempus in omne ſinu.
Nec minus ad ſocios, qui conuenere vocati,
Summo in digreſſu talia dicta dabas.
Vos autem exanimum corpus donate ſepulcro,
Oſſaque apud patrui condite noſtra mei.
Haec de me volui. Sed nunc diſponere reſtat
Quae bona mi patruus iure fruenda dedit.
Iuſtam horum excipiant partem materque, ſororque
Vtraque, & illarum filius atque nepos.
Omnia dein varias ſollers deſcribis in aedes,
Quarum eſſet virtus indubitata tibi.
Maxima pauperibus pars dicta orbisque puellis,
Seu cupiant hominum, ſeu mage vincla Dei.
Sed poſtrema mihi a patruo ſtat tradita cura
Illius immenſus bibliotheca labor.
Hanc mihi diſcerpſiſſe nefas. Vnum illa ſequatur
Integra, nec varias ſit timuiſſe vices.
Sederat hoc patruo, patrui ſententia perſtet,
Quodque ipſe impoſuit ſuſtineatur onus.
Quis ferat hoc melius, ſocium quam coetus Ieſu,
Magna vbi tot iuuenes erudiuntur ope?
Hoc igitur, Patres, donum morientis habento,
Ne ſit quae patruum deleat vlla dies.
Haec ego. Signatis vos haec mandate tabellis,
Haec mea mens, vlli quam violaſſe nefas.
At vos o comites, vos o mea cura valete,
Eſte precor memores, ſi licet, vſque mei.

Iuſſiſti haec fieri: fuit haec ſuprema voluntas
Marce tibi, haec fieri lex veneranda iubet.
Audiet haec quiſquis, mirabitur, & ſimul addet,
Tantum in tam tenero corpore mentis erat?
Conſilij tantum, tantum & caeleſtis amoris?
O venerande magis, quam miſerande puer.
O felix, magnoque puer digniſſime caelo,
Quem terra haud meruit continuiſſe diu.
Hoc ſperare tuos, qui te deflemus amici,
Cum vita mores morsque ſuprema iubent.
Mitto ea quae tecum fuerunt communia multis
Omnia Chriſticolum more peracta pio.
Certe intermiſſus tibi numquam rite precandi
Mos fuit, & Chriſtus plurimus ore fuit.
Inclyta quin etiam Ieſſaei carmina vatis
Dulce erat, & laudes concinuiſſe Deo.
Haec ego perſenſi, titubantis murmura linguae
Vt volui & dubios excipere aure ſonos.
Nec deſunt alij: ſenſit ſtudioſa iuuentus
Cui te non fuerat alter amabilior.
Difficiles miſerata obitus longumque dolorem
Sederat haec circum grata corona torum.
Solatrix aderat, ſed quae ſolatia praebet
Ipſa ſuum haud valuit diſſimulare malum.
Tandem bis ſenas anima eluctata per horas
Deſeruit feſſi corporis hoſpitium.
Laetior hic ſubito lux leui in fronte refulſit,
Inque ſerenato pulchrior ore decor.
Tum vero & ſeſe lacrimae fudere tepentes,
Nec potis eſt nimius promere verba dolor.

Sed poſtquam tonuere graui ſuſpiria corde ,
Denique fulminibus vocis aperta via eſt .
Lamentis & cuncta ſonant , & plena querelis
Omnia. lugenti verba miniſtrat amor .
Felicem ſed quiſque tamen te nomine clamat,
Cui patuit tali morte ſalutis iter :
Oſtenſum modo quem terris caelum abſtulit , aeuo
Scilicet vt dignum nobiliore frui .
Spero equidem caelo frueris Murete, pijsque
Moribus eſt certus quem meruere locus .
Et deſiderium nobis immane relictum eſt .
At tibi perpetuo tempore parta quies .
Iam te quam dederit ſerie natura ſequemur :
O iſto liceat limite ferre pedes .
Interea vt memores longum ſeruemus amorem ;
Viuat & aeternum nomen honosque tuus :
Quandoquidẽ gelido concluſum eſt marmore corpus ,
Addetur breuibus littera caeſa notis .
Muretus minor hic ſitus eſt . in flore iuuentae
Mors tulit, vt ſenſit mente animoque ſenem .
Hanc ſedem elegit, ſimul vt condantur eodem
Patruus & fratris filius in tumulo .

IN. OBITVM. ALEXANDRI Farneſij Cardinalis.

ELEGIA. VI

CEDITE iam lacrimae: via iam laxata querelae eſt:
Vox properat tardas non bene paſſa moras:
Carceris anguſti longum indignata receſſum,
Sat memor officij, non memor ipſa modi.
Turbida vox properat: ſepto velut aggere torrens,
Vt ſibi praecluſum per vada pandit iter,
Murmure ſe rauco primum increpat: impulit vna
Impetus: & tandem qua data porta ruit:
Tum ſtrepitu ingenti conantia ſiſtere frangit:
Fertur: & indomitas in mare portat aquas.
Magnus ALEXANDER Farneſius occidit: eheu,
Heu, moriens ſecum gaudia quanta tulit.
Non hominum timuit iuſtis obſiſtere votis
Mors fera, & infeſtas iniycere auſa manus.
Et tacita haec ſpectem lingua? nec verba profundat
Cum ſonitu innumeris mens labefacta malis?
Hoc bene: non ſoli querimur. Iacet obſita luctu
Vrbs pia, praereptam quae ſibi poſcit opem.
Romulidum iacet omne genus: Cauſa vna dolendi
Omnibus: haud vnus profluit ore dolor.
Hic dolet, in rebus ſe quod circumſpicit arctis:
Hic, quia ſubſidio deficiente cadit.
Hic ruit in gemitus, plenis quod nubilis annis

Filia,

Filia, ſedem humilem, progeniemq. grauat.
Huic lacrimae ex oculis, quem vexat morbus. At illi,
Eſt quia pauperiem prodere voce pudor.
Illa viro mulier, prolesque orbata parente,
Nunc deſerta ſibi, viſaque ſola ſibi.
Pro ſe quiſque ſuum certat vulgare dolorem,
Fletibus & miſtis omnia maeſta madent.
Pars bona nobilium, Romanae quod decus vrbis
Occidit, & Latij gloria facta minor.
Hinc velut indictum communi in clade, recentis,
Iuſtitium, & luctus, ſigna dedere mali.
Ducitur inſigni lugubris funere pompa,
Per fora, nigranti ſyrmate, perq. vias.
Te quoque purpurei iubar immortale Senatus
Terruit extincta lux radiata face.
Ordinis ille tui princeps, quem ſaepe ſolebas
Conſulere, vt ſubito decidit interitu.
Exuit hoc nitidum viſu mutata ruborem
Purpura. Maerentes non decet iſte color.
Sic ferrugineos par eſt imitari hyacinthos,
Heu modo funeſtae triſtia ſigna domus.
Funerei flores inſcripti nomina regum,
Et gemitus (eheu non latuere) notas.
Vos ego, vos olim, terreſtria ſidera: ſed nunc
Lilia in aetherijs ſedibus eſſe putem.
An quia cognatum repetit ſua pignora caelum,
Et color e ſummis arcibus ille venit?
An quod ALEXANDER caelo intulit? Illius auctus
Plenior eſt Superum, nobiliorque chorus.
Deſpicit hinc longe terrarum lubrica regna,

Quae

Quae meruiſſe magis, quam tenuiſſe iuuat.
Nec minus & veteres gaudet ſpectare clientes,
Et diuina illos promptior auctat ope.
Hinc precibus iuuat effuſis, quas protegit oras,
Vtraque quas pelago diuidit Heſperia.
Huius & auxilio ſimul & Germania tuta es,
Et plaga frigenti qua micat Vrſa polo.
Te quoque, Belgarum domitor, noua gloria belli,
Adſpiciens propius, qua valet arte, fouet.
Tu proauo & patruo laetus cognomine, tendis
Fortia Pellaei vincere facta ducis.
Ille tibi e celſo plaudit ſublimis Olympo,
Inq. tua aeternum ſuſcitat arma Deum.
Non aliter tibi victori iam plauſerat idem,
In terris hominum cum pater eſſe ſinit.
Illi Chriſticolûm fuerat res publica curae,
Vnus & antiquae relligionis amor.
Haec puero pia cura fuit: dein ordine vires
Tempore perpetuas progrediente capit.
Carole tu teſtis fratris ſocer inclytus: ad te
Nomine quando adijt conſpiciendus aui.
Diſiectoſque tulit ſecum per fulmina montes,
Argumentum ingens nominis, atque rei.
Tu teſtis Franciſce animis inuicte, ſupremi
Pontificis ſubijt cum tua tecta nepos.
Cum ſimilis caeleſtum ori, maioraque viſus
Eſt tibi mortali condicione loqui.
Namque rudimenta haec iuuenis Farneſius: illas
Primitias, regum conciliator habet.
Haec tibi ALEXANDER primordia: talis, in vſus
Pontifi-

Pontificum, tali praeditus arte venis.
Quamquam illi per te, manifeſto numine: certe
Non ſine te, ſummum corripuere gradum.
Adiutor tu tanti operis, tu muneris auſpex,
Tu bonus auxilio, conſilioque bonus.
Seu Zephyrus placidū ſternat mare: ſeu tonet Auſter
Nubilus, & feriant flamina verſa ratem:
Tu veluti cautes ſtas imperterrita ventis,
Ipſa licet fluctus aſpera tollat hyems.
Res dubiae mentem non abiecere: ſecundae
Inflauiſſe aura non potuere leui.
Tempus vtrumque vno fers pectore. Conſcia tantum
Ipſa ſui Virtus, & benefacta valent.
Tu regum magnorum animos curasque gerebas:
Quorum etiam, rebus vincere quaeris opes.
Dicite vos Cimini colles, fonteſque, lacuſque,
Siluaque ab inuito iuſſa virere ſolo.
Dic ſedes vicina vrbi, domus hoſpita regum,
Deliciae domini diuitiaeque tui.
Hic vbi iucunda ſolitus conſidere in vmbra,
Curarum a ſtrepitu cum requieſſet herus.
Sed cur vos taceam magni de nomine IESV,
Vos Capitolinis proxima templa iugis?
Vos maiora vocem terris, aut aemula caelo?
An formam inſpiciam, vel magis artis opus?
Vos modo candenti nituiſtis marmore, & auro:
Nam tholus auratis ſpirat imaginibus.
Vos, lapis externus, Phrygijs vos ara columnis,
Quaeq. diu admirans limina quiſque manet:
Haec ea iam fuerat viſendi cauſa. Sed, eheu,

Altera

Altera viſendi vos modo maior erit.
Venerit huc quiſquis, lucentem pronus ad aram
Rite ſimul Superis fuderit ore preces:
Cetera contemplans, venerabitur ante ſepulcrum
Principis, & lacrimans talia dicta dabit.
Magnus ALEXANDER iacet hic Farneſius. An ne
Vmquam erit, vt ſimilem poſtera ſaecla ferant?

AD. ODOARDVM Farneſium.

ELEGIA. VII

SAT LACRIMIS ODOARDE datum iam queſtibus aures
Parce onerare hominum, parce onerare Dei.
Triſtia ſat patrui defleſti funera magni:
Funera, queis veſtrum eſt exanimata domus.
Funera, quae veluti nec opinum fulminis ictum
Pallida ROMA ſimul ſenſit, & intremuit.
Et capite excuſſa lauru victrice, cupreſſo
Impediit paſſas dilaniata comas.
Atque vrbes & regna ſuo procul exciit orbe.
(Perculerat tanti nuntia fama mali)
Non aliter, ſi laeta licet componere maeſtis,
Et conferre vna tempus vtrumque iuuat.
Miſerat vndenis iam luſtris ante, frequentes
Dulcia per populos gaudia Chriſtiadum.

Alter

Alter ALEXANDER ſacrum vt Farneſius oſtrum
Extulerat, triplici cinctus honore caput.
Tum ſeptem gemino ſonuere e vertice plauſus,
A Capitolina ſed tamen arce magis.
Et grates hominum dictae Superumque parenti,
Qui talem annuerat gentibus eſſe patrem.
Annuit ille etiam votis communibus, eſſet
Vt cui mens ſapiens, mors quoque ſera foret.
At nunc ſeptenis plangens ſub vallibus Echo
Confuſos gemitu iactat ad aſtra ſonos.
Atque vbi ſubiecto ſurgunt Capitolia templo,
Flebilis huc tota coetus ab vrbe ruit.
Alter ALEXANDER tẽpli decus, & pius auctor,
Huc feretro fertur, conditur hic tumulo.
Huic vitam breuiorem omnes, mortemq. queruntur,
Ante ſuum veluti ſit properata diem.
Debita namque illi terrarum maxima regna,
Et fuerant facili ſceptra gerenda manu.
Haec ſibi mortales finxerunt gaudia mentes:
Gaudia, quae volucres diripuere Noti.
Caelo aliter viſum. Terrarum degener orbis,
Credo equidem, haud tali munere dignus erat.
Ille autem aetheria iamdudum dignior aula:
Quo ſibi munierat per benefacta viam.
Quod paruis immenſa manent ſi praemia caelo,
Et potis huc gelidae ducere potus aquae:
Plurima quid riuis indeficientibus addant
Flumina, in innumeras dona tributa domos?
Ergo nunc fruitur centeno fenore, & ampla,
Quae nullo exciderint tempore, regna ſubit.

Reddit

Reddit ALEXANDER nouus hunc Farneſius : ille
Natus fratre : parens, ille, ODOARDE, tuus.
Sed reddit, reddetque virum pietate fideque
Nobilis hic armis, nobilis ille toga.
Tu reddes ODOARDE toga. Viden' orbis vt in te :
In te omnes populi lumina fixa tenent ?
Te geminis olim patruis par purpura magnis,
Forſitan atque abauo reddet honore parem.
Nam veluti generis veneranda inſignia veſtri,
Lilia, in aurato quae micuere ſolo,
Prima cadunt folijs labentibus ; altera ab illis
Extant, & ſimili germine ſilua viret :
Haud ſecus eximios ſoboles FARNESIA bello
Sufficit & paci tempus in omne viros.
Scilicet vt varient alternae munera laudis,
Et paribus titulis nomina priſca ferant.
Non ego, non repetam veſtrorum ex ordine auorum,
Et decora, & valida rapta trophaea manu.
Non ego longus in hoc. Tuus en fraterque paterque
Pro multis poſſunt millibus eſſe ſatis.
Ille quidem, illuſtris RANVTI nomine, eumdem,
Aemulus, ingenio conſilioque refert.
Iamque manus durat bello: iam praecipit hoſtem ;
Iam placida populos ſub ditione tenet.
Interea genitor regnis dat iura ſubactis,
Quae premit auſpicijs, magne PHILIPPE, tuis.
Fortis ALEXANDER, cuius nomenque decusque,
Perq. pia aeternus proelia partus honor,
Et proles auguſta, aegram ſpe ſuſtulit vrbem.
Quin etiam magnum ſingula pondus habent.

Magna

Magna quidem ſunt haec ſolatia. Nec tamen eſſe
Debuit ingenti parua medela malo.
Ire ſed & leuior tum maeror coeperit, & tum
Triſtior exitio deſinet eſſe dolor:
Cum claris deducta atauis ſacra purpura, & vrbis,
Et Latij aſſenſu moribus aequa tuis,
Patrum concilio, & magnis te iunxerit actis:
Inq. tuo rutilus fulſerit ore decor.
Lumine nam placido ſi aſpexerit exoriens Sol,
Et molli aridulum ſparſerit imbre nemus:
Lapſa ſuum explicito diffundent vertice odorem
Lilia, in aſſiduos ſemper itura ſatus.
Sic per te reparata domus. Sic inclyta ROMA
Affluet in plauſus ambitioſa tuos.
Et dicet, venerata togam. Spes altera ſurgit:
Et ver poſt hiemem pulchra miniſtrat humus.

A D. CHRISTVM

ELEGIA. VIII

CHRISTE Pater, totum meritis ſi amplecto-ris orbem,
Si vota officijs exuperare iuuat.
Huc ades, & precibus placatus leniter affla,
Acta per inuitas dum natat alnus aquas:
Flumine in aduerſo, recto duc flamine, portum
Nec niſi cum tenuit, deſere nauis iter.
Da mentem mihi noſſe tuam, cui ſeruiat vni

Mens mea: cui dicam, Tu mihi ſola places.
Sit tua nota mihi numquam deluſa voluntas,
Et mea ſint placitis aemula vota tuis.
Illi ego me ſocium concordi foedere iungam,
Foedere, quod numquam ſoluerit vlla dies.
Quod cupis, hoc cupiā: ſpernam quod ſpernis: amemq.
Quicquid amas: aliud nec potuiſſe velim.
Iam mihi terrarum pereat quod ſuſtinet orbis,
Iam mihi vel regum deſpiciantur opes.
Dummodo ſim tecum, cunctis ignobilis aeuum
Traducam, & quamuis vilis inopsque vocer.
Sic ego ſim, rerum ne turba interſtrepat: in te
Sed placida immotus pace quieſcat amor.
Tu mihi laeta quies, tu pax optata: ſolutis
Spes curis, in te tuta reponit onus.
Te ſine, victa malo ingenti mens fluctuat amens:
Omnia dura mihi: triſteque diſſidium eſt:
Tu feſſo laeuum capiti ſubſterne lacertum,
Et mihi det circum dextera colla manus:
Inq. tuo amplexu velabit lumina ſomnus,
Vltima nec facient claſſica pulſa metum.

AD DEVM

ELEGIA. IX

SVMME parens hominum, celſi regnator Olympi:
Cui, cuncta vt fierent, ſat voluiſſe fuit.

Aſpicis,

Aſpicis, ille tuis offert qui vultibus ora,
Ille tui indignus numinis ore fuit.
Amiſſae toties memor, acceptaeque ſalutis,
Nec miſeros audet tollere ad aſtra oculos.
Ille ego ſum, nimium infelix. Ignoſce fatenti.
Ille ego ſum. Tingit conſcius ora rubor.
Nam male ego vt factis, bene tu, certamus vtrinque?
Crimina ab officijs ſunt mea victa tuis.
Diffugiam procul. Ah ne me tuus ignis adurat,
Neu ſoluar mutos protinus in cineres.
Et facerem, tua ni bonitas ſolatia ferret,
Quam fore perpetuam ſpes mihi ſemper ait.
Quin etiam, tibi qui placeam mens anxia curat,
Si dabitur ſuaui ſubdere colla iugo.
Hinc metuens acti, venturi neſcius aeui,
Vt malefacta bonis occuluiſſe queam:
Virginis ante oculos felicis & ora parentis,
Cui Deus e collo dulce pependit onus:
Aligerum denſa ac procerum inſpectante corona,
Attonita laudes quae tibi mente canit:
Me tibi dedo iterum ſollemnibus ordine votis,
Vt iuuet in me ipſo iam nihil eſſe meum.
Quin volo contentus tenui iam viuere cultu,
Ditemque amplecti pectore pauperiem.
Et nitar, decoris cuſtos, vt corpore caſto,
Et niueus caſta ſtet mihi mente pudor.
Nomine dura tuo nec erunt quaecumque iubebor:
(Mollia ſic faciet iuſſa, iubentis amor.)
Sed nec opes inopes, nec vani nominis vmbram,
Atque ea quae falſo gaudia vulgus amat,

Non ego, non faciam tanti, dum vita manebit,
Sanctaque diuinus vincula nectet amor.
Talibus auxilijs, ad pugnam fortis, & armis,
Queis ſine, quam ſubito victus inermis eram,
Caſtra ſequar, tua ſigna ſequar victricia, IESV,
Certior ante animam, quam poſuiſſe fidem.
Iamque ſacramentum, linguaque & mente, fidele,
Iuratus dico, deuoueoque caput.
Sic mihi, ſic adſit, tua quae clementia ſumma eſt,
Et cui par pietas neſcit habere modum.
CHRISTI te per ego effluxit qui e corpore ſanguis,
Vnde illi ſaeuae mortis aperta via eſt:
Vnde mihi quoduis patuit via lata petendi,
Quam poſſum enixe, ſuppliciterque rogo.
Accipe, candentes qui ſtat ſacer agnus ad aras,
Vt nullus gladio, ſed prece ſanguis eat.
O, tibi mactatus talem ſi ſpiret odorem,
Qualem vbi purpureo vere renidet humus.
Dexter ades, timidisque faue pater optime votis:
Victima ne in caſſum, verba, cruorque, cadant.
Spero equidem, vt pius es, noſtris placabere donis,
Si quod velle iubes, hoc quoque poſſe dabis.
Euentura precor. tacita dulcedine ſenſus
Neſcio quae tangens, vox mihi reddit, Amen.

AD. EVMDEM

ELEGIA. X

OMNIPOTENS audi genitor pia verba rogantis,
Quem referunt audi ſidera pulſa ſonum.
Te precor: aduerte huc numen ſuprema poteſtas:
Namque alius quis ſit, quem ſuper ipſe rogem?
Ipſe tibi terras cum primo accendet eous
Lumine, cum primo lumine vota feram.
Tu mihi demittes caelo placabilis imbrem,
Et facili accipies ſupplicis aure preces.
Ipſe tuas ſiſtam me matutinus ad aras,
Soluerit vt ſenſus pectore pulſa quies.
Quam tua ſit ſceleri furtoque auerſa voluntas,
Aſpiciam: iubeas ſi prope ferre gradum.
Eſte procul peſtes, ingratum auertite viſum,
Parcite diuinis, parcite luminibus.
Non aequis Deus ille oculis aſpectat iniquos,
Neglecta violant qui pietate fidem.
Odiſti, pater, iniuſtos, & fallere doctos,
Et blanda hoſtiles contegere arte dolos.
Hi ſibi iam domini mentem auertere benignam,
Atque ea periuris quam ſit acerba docent.
Nec ſe contingi patitur Deus ore nocentis,
Cuius adhuc multo ſanguine dextra rubet.
At mihi tu adſpira facilis: tu lumine amico,
Ingrediar cupidus cum tua templa, faue.

Atque ego te ſupplex ſancta venerabor in aede:
Oſſa pius curret per tremefacta metus.
Tu mihi duxq. comesq. bonus: tu dirige greſſum:
Ne vager incertus, da bene ferre pedem.
Te monſtrante viam, inſidias ſtruat inuidus hoſtis,
Inſidias hominum nil timuiſſe decet.
O vanum & fallax hominum genus: ora malignae
Fraudis, & occulti pectora plena doli.
Guttur adeſt illis patulum, deforme ſepulcrum,
Et lingua inſtabiles vincere certa Notos.
Tu mala, tu fallacum hominum mendacia perde,
Impia dum poena vindice facta luant.
Quae cupiere, tui quando mens excidit illis,
In celeres ventos irrita vota cadant.
Scilicet agnoſcent, quam laeſi numinis ardor
Saeuiat, & domini quam grauis ira tonet.
At parte ex alia, vos o quibus vna voluptas
Speſque Deus: vos o gaudia quanta manent:
Gaudia vera manent, quae nulla infecerit aetas:
Vos eritis magno maxima cura Deo.
Gloria cuique Deus. te qui miretur ametque
Semper erit: iuſto nam bene ſemper erit.
Ille tuo, clypeo velut obtendente coronam,
Ibit praeſidio, quam iuuet ire viam.

ELEGIA. XI

QVID TOT ſolicitum vexas mens anxia curis?
Et toties fruſtra vana timere iubes?

Nil

Nil mihi, nil deerit: Deus eſt qui pectora curis
Liberat, & laetos qui iubet ire dies.
Me Deus ipſe regit, me in paſcua ducit opima,
Plena vbi diſtendunt vbera lactis oues.
Me gelida reficit lympha, fluuioque ſalubri,
Hic vbi perpetuo gramine vernat humus.
Deuius errabam ſolis in montibus: at me
Vertit, & in tutum paſtor ouile tulit.
Ille mihi praepandit iter, qua ſemita monſtrat,
Ille vacillantes dat bene ferre pedes.
Vt cingant tenebrae, vt mortis circumuolet vmbra,
Et vetet in media fidere nocte timor.
Tunc me, nec tenebrae, nec mortis territet vmbra:
Ibo ego ſecurus, ni comes ire neges.
Tramite de recto flectentem virga coërcet:
Lapſantem baculus firmat, & addit opem.
Quin etiam feſſo conuiuia laeta parantur,
Largaque multiplici menſa referta dape.
Vt videat mala, qui nobis intendere tentat,
Vraturque mala perfidus inuidia.
Iamque mihi e nitido ſtillant vnguenta capillo,
Et veteri ſpumant pocula plena mero.
Haec tua me pietas non tempore deſeret vllo,
Dum mihi mors auidas inferat atra manus:
Quae ſimul ac veniet, breuioris tempora lucis
Permenſus, ſedes ducar in aetherias.
Et procul hinc abſunt luctus, curaeq. nocentes:
Nec vetat aeternum nox inimica diem.

AD. CHRISTVM
In die Salutationis Angelicae.

ELEGIA. XII

PACIFERAM canimus lucem. Bone Pacis amator
Huc ades, & Pacis munera priſca refer.
Huc ades illuſtri matris diademate vinctus,
Non ſecus ac fulſit cum tibi laeta dies.
Cum ſponſam thalamo ſocians noua foedera Pacis
Tempore non vllo diſſoluenda feris.
Sic libuit placare patrem, qui iuſtus in iras
Arſerat, indignans vota preceſque virum.
Dira lues totum maculis obduxerat orbem,
Traxerat & culpa traduce poena comes.
Inq. omnes ſcelus effuſum peruaſerat omnes,
Nec quiſquam patrio crimine liber erat.
Tabida non aliter corrupto ex aëre peſtis
Robur ab occulto tempore maius habet.
Et primum infecitq. greges, armentaq. tabo,
Mox etiam miſeris gentibus incubuit.
Nil purum eſt ſceleris, Deus inquit, vt omnia luſtrē,
Stat culpam vlciſci, materiemque mali.
Haud mora, corripuit pharetram, cornuq. tetendit,
Et parat adducta mittere tela manu.
Et faceret: ſed tu pacem veniamque precatus,
Efficis irarum ne memor eſſe velit.

Tu paci medium te offers dulciſſime Ieſu,
Inq. tuum recipis ſpicula verſa caput.
Tu mortem auertis nobis, cum nube coactum
Virginea corpus ſuſtinuiſſe iuuat.
Scinderet vt nubem contorto fulmine nimbus,
Dum tonat, vt magni detonet ira patris:
Hinc toto fluit irriguus de corpore ſanguis,
Et tepidum multo proluit imbre ſolum.
Vim dicas ſenſiſſe ſolum, ſic flore recenti
Sentibus e medijs emicuere roſae.
Vnde ſimul dulcesq. animis afflantur odores,
Sunt & honoratis mollia ſerta comis.
Sunt ea, ſunt veris, ſanctaeque inſignia Pacis,
Ipſaque laetitiae ſunt bona ſigna nouae.
Namque velut, cum fugit hiems, imberq. receſſit,
Sol melior picto gramine veſtit humum.
Sic etiam, vt ſacro placuit tibi ſanguine, ſacra
Hoſtia fulmineum conciliare Deum:
Scilicet infractique arcus, verſaeque ſagittae,
Lapſaque parcentis ſunt patris arma manu.
Nec tantum abſtinuit bello: Pax aurea terras
Munifica e caeli ſedibus auxit ope.
Nec clypeus gladijve ſonant: conceſſit aratro
Ille, ſed in falcem ferrea cuſpis abit.
Huc ferri deceſſit honos. Ite horrida tela,
Ite procul trepidos ſub Styga ferte metus.
Tu quoque iam felix hominum genus, aethere ab alto
Eſt cui cum placida reddita pace ſalus:
Nunc ſaeuas dediſce artes, fera bella quieſcant,
Et graue ſecuro corpore ceſſet onus.

Tu Pacem ante alios, IGNATI myſtica proles,
Patris ad exemplum cur venereris, habes.
Ille quidem, iuſſitque tubas, atque arma valere,
Et ſeſe Pacis miſit in arbitrium.
Huc animum ſimul intendit: tuq. optime Ieſu
Sub tua ſigna illum patre monente vocas.
Mons vbi Serratus priſco dat nomina templo,
Supplicibusque Dei fert pia mater opem.
Ante diem lucemq. ſacram, celebrare quotannis
Terra ſibi oblatae qua bona Pacis amat.
Serica permutans ſacco, tum fune reuinctus,
Peruigilem noctem duxit ad vſque diem.
Nec prius abſceſſit, quam ſe tibi CHRISTE ſacrarit,
Et ſua ſub templi fixerit arma tholo.

IN. DIE. NATALI DOMINI

ELEGIA. XIII

EST DEVS in terris: mortales induit artus.
Aligerum e caelo candida turba veni.
Spectatum pia turba veni: mihi credite, nil eſt
Lumina quod poſſit veſtra tenere magis.
Pandite nunc tandem reuoluto cardine poſtes:
E caelo ad terras peruia facta via eſt.
Nec vos poeniteat manibus per mutua nexis
Aëra per nitidum conſeruiſſe choros.
Ipſe Deus terrae iam nunc migrauit in orbem:

Non

Non caelum eſt vobis deſeruiſſe pudor.
Hoc bené, laetifico quod curritis vndique plauſu,
Funditis & dulces ore ſonante modos.
Gloria, Paxq. cauae referunt ad ſidera valles:
Aurea pax homini: gloria ſumma Deo.
Peruigil haec paſtor ſuſpenſa percipit aure,
Et ſtupet in media fulgere nocte diem.
Et metuat, niſi veſtra vetent promiſſa: timore
Dempto, laetitiae vos bona ſigna datis.
Ille autem accelerat tanta ad ſpectacula greſſum,
Eſt vbi cum ſancta virgine matre puer.
Ipſe reclinatus puer ad praeſepia, vili
Membra ferens panno vix adoperta, iacet.
Nec bouis obſequium, nec dedignatur aſelli:
Inter & attonitum paruus vtrumque tremit.
Hic tremit, hi patulis efflant de naribus auram
Egelidam, hac pueri frigida membra fouent.
Ipſa parens in nato inhiat pulcherrima viſus,
Et longum aſpiciens paſcit amore oculos.
Ignem etiam admirans haurit: nam lampadis inſtar
Exit, & e pueri plurimus ore micat.
Nec minus haec cuſtos miratur virginis, ille
Dignatus ſacri nomine connubij.
Stat cubito ad ſpondam preſto, barbamq. reflectens
Ipſe caua ad mentum ſuſtinet vſque manu.
Paruum oculis videt, ingentem ſed mente veretur,
Inq. homine agnoſcit delituiſſe Deum.
Aſpicit haec propius paſtorum ruſtica pubes,
Vixque tenet lacrimas, diriguitque metu.
Et tandem venerata Deum, venerata parentem,

Lanigeras

Lanigeras media valle reuiſit oues.
Bethlemio caeli regem natum eſſe ſub antro
Praedicat, & ſocijs ſingula viſa refert.
Nec mora, feſtinant illi, ſedemq. requirunt,
Vilis vbi aetherio riſit odore domus.
Dona ferunt ouium fetus, & limina ſertis,
Et viridi certant fronde operire ſolum.
Mox puerum aſpectant, qui matre in virgine totus
Haeret, & ambroſium ſpirat ab ore decus.
Hic, viden', vt matri blandis arridet ocellis,
Vtq. daret, ſi non brachia vincta forent.
Hinc narrant digreſſi alijs. ſtupet inſcia turba,
Perq. dies multos itque reditque viam:
Donec parua ſuper labentem culmina tecti
Stellam cum multa luce ſedere vident.
Atque nouum terris mirati ſurgere Solem,
Tollunt oppoſita lumina fulta manu.
Interea aſpiciunt vndantes agmine campos,
Et circum innumera feruere gente vias.
Plurima terram operit quadrupes: collum eminet illi
Longius, & curuo tergore geſtat onus.
Viſi etiam, prae turba equitum, decedere montes,
Et viſum in pedites protinus ire ſolum.
Maximus auditur fremitus pecudumq. virumque
Vrgentum celeres approperare gradus.
Hinc ſimul ignota cernunt in veſte nitentes
Aurorae populos; Aethiopumq. manus.
Hos inter Nabathaea cohors, comitesq. Sabaei,
Multus & aſsiduo Sole peruſtus Arabs.
Vt ventum ſpecus ad patulum, cui ſideris ardor
Cum

Cum face ſubmiſſum viſus habere caput:
Suppliciter perculſa nouus per pectora cunctis
It pauor, & terram cominus ore petunt.
Tres tamen egregij: queis, regum inſignia, dextram
Sceptra manum decorant, celſa tiara caput:
Myrrhae, auri, turis, recludunt dona: futura
Illa homini, haec regi, tertia dona Deo.
Accipit haec puer arridens pulcherrimus ore,
Quaſq. poteſt, viſus fronte referre vices.
O ego ſi poſſem famulantum accedere turbae,
Donaque ſuppoſita ſuſtinuiſſe manu.
Vt puerum aſpicerem ſupplex, vt plurima plantis
Laetitia & lacrimis oſcula miſta darem.
Sed nequit elapſi reuocari temporis aetas,
Et ſemel effugit non reditura dies.
Et tamen ipſa etiam mihi nunc cunabula fingo,
Et iuuat ad teneros procubuiſſe pedes.
Hic inopem voueo, hic caſtam ſine crimine vitam,
Hic & promptum animum iuſſa aliena pati.
Haec tibi magne puer regalibus aemula donis,
Turi, auro, myrrhae, myſtica dona fero.
Parua quidem fateor, ſed quae nec parua videri
Fecerit haud paruus parua ferentis amor.

DE. CHRISTI. DOMINI precatione in horto eiusque ſudore ſanguineo.

ELEGIA. XIV

GETHSEMANI colles, olea mons conſite, & o tu
Hortule cum domino facte cruente meo.
Vos ego, vos video? mihi vos renouatis acerbum
Qui timor humenti duxit in ore notam:
Ad vos ſuprema cum venit nocte, grauique
Pectora triſtitiae corripienda dedit.
Nec quiſquam eſt hominum, dictis lenire dolentem
Qui velit, aut vigili peruigil aſſideat.
Omnia dant gemitum, fletum omnia, & omnia luctũ,
Praeſcia mens, pallor, nox, loca ſola, metus.
Omnia nec terrent tantum, quantum ira parentis:
Hanc timet, vt valida tela vibranda manu.
Ergo vbi maerentes ſocios, ſomnoq. grauatos,
Et prouiſam animo cernit adeſſe necem:
Submiſſis genibus, tendens ad ſidera palmas,
Edidit haec maeſtis triſtia verba modis.
O pater, o genitor, proiectum hic aſpice natum;
Accipe quas humilis fertq. refertq. preces.
Hunc mihi, ſi fas eſt, oro, defende dolorem,
Et quae mors odijs ſaeua parata venit.
O ego, ne ſuccos quos pridem infecit amaror,
O ne miſta acri pocula felle bibam.

Iam

Iam morior curis, languentes occupat artus
Iam tremor, & vultu frigidus horror ineſt.
Flebilis hic iaceo. Parce o non digna ferenti.
Mens videt, & viſis ingemit aegra malis.
En trahor ad vincla, & plagas, mortemq. crucemq.
Inq. haeſura meo tela micant latere.
Ah ego quid merui, caeleſti vt tangar ab igne
Fulminis accenſi, dum tonat ira patris?
Nam neque mens vlli noſtra eſt obnoxia facto,
Exijt & noſtro nullus ab ore dolus.
Quam mihi ſunt durae leges. Aliena repellam
Crimina, & immeritum culpa aliena premat?
Parce pater, ſi iuſta peto: potes omnia. nec tu
Aſper es: & natus ſum tamen ipſe tuus.
Si ſedet hoc animo, & precibus non flectere noſtris,
Non ego me vinclis ſupplicijsq. negem.
Et patiar quodcumque voles. Te propter obibo.
Dixit, & in lacrimas vltima verba cadunt.
Plurimus haec inter toto de corpore ſudor
Liquitur, & guttae ſanguinis inſtar eunt.
It ſanguis, terramq. nouo velut influit imbre:
Nec ſolitus pulchro fulſit in ore color.
Quiſquis vt informemq. comam, vultumq. cruentum
Aſpiceret, Chriſti quaereret ille decus.
Talis vbi induxit cruſtas, & membra peredit,
Inficit horrentem puſtula nigra cutem.
Horruit aſpectu caelum: vos aethere in ipſo
Fama eſt pallidulas obriguiſſe faces.
At tellus bibit infuſum venerata cruorem,
Et ſpeciem grates dicere auentis habet.

Fortunata

Fortunata mihi tellus, vbi fertur aperte
Procidere aeternum non puduiſſe Deum:
Et lacrimas fudiſſe patri, veniamque rogaſſe,
Albaque ſanguineis ora rigaſſe notis.
Ora natant lacrimis, & ſanguine: corpore ſanguis
Emicat, & maduit ſanguinis amne ſolum.
Imbuit hic herbas ſanguis, glebamq. iacentem,
Sentibus e medijs erubuere roſae.
Erubuere roſae, vt domini teſtentur amorem,
Dicere ſic viſae. Nos ita pinxit amor.
Acer amor. Tantos ne Deum ſentire dolores,
Nec quemquam alloquijs poſſe leuare malum?
Aſpicit haec pater ex alto ſublimis Olympo,
Atque ira in flentem quam ſit acerba monet.
Ira ſed in ſontes aequa eſt. Nihil iſte, nec egit
Nec meruit. Iam non dicere vera piget.
Ipſe ego ſum turpis, fateor, iuſtiſſime iudex:
Et mea fraus omnis, crimen & omne meum eſt.
Ipſe ego te laeſi, infelix. Mihi culpa luenda,
Inſideat capiti iam precor illa meo.
Tu gnato modo parce tuo. Nam viuere dignus
Vnus, in exitium totus vt orbis eat.
Parce precor nato. quod ſi mutabile non eſt
Conſilium, & prolem ſtat tibi velle mori:
Parua tamen dentur ſolatia. Promptior ibit,
Ni ſolamen abeſt, mortis in omne genus.
Audijt, an fallor? lux caelo miſſa repente,
Et iuuenis dominum conſtitit ante ſuum.
Conſtitit, & triſtes abſtergit pectore curas,
Celſaque ſublimis ſidera rurſus abit.

Finis libri tertij.

FRANCISCI BENCII E. SOCIETATE. IESV CARMINVM LIBER. QVARTVS

EPIGRAMMATA

I
De Roma Vetere.

R*OMA VETVS, totum manibus quae amplecteris orbem,*
Seu dare vis terris, ſeu dare iura mari.
Vna triumphali diademate cingeris: vna
Omnia Tarpeij cernis ab arce iugi.
Te caput ad caelum tollentem ſuſpicit Atlas,
Te ſibi ſubſtitui pondere feſſus auet.
Salue magna parens virtutum, magna virorum,
Qui titulos armis, qui peperere toga.
Nil tantis certet tibi laudibus: omnia vincis,
O decus, o hominum gloria, Roma Vetus.

II
DE. ROMA. NOVA

ROMA NOVA immenſo lucem quae diuidis orbi,
  Seu tua das terris, ſeu tua ſacra mari.
Tota ſalutifera fulges cruce: tota triumphas:
  Et Vaticana maxima in arce ſedes.
Te dominam rerum, caeloque Ereboque potentem
  Sentit, & e Stygijs horruit Orcus aquis.
Salue dia parens, ſalue domus alma piorum,
  Morte quibus domita pandis ad aſtra viam.
O ſola, o ſummo felix a principe princeps,
  O quae mortales vna beare potes.

III
AD. GREGORIVM. XIII
Pont.max.qui reliquias ſanctorum Abundij & Abundantij tranſferri iuſſit in aedem nouam Societatis Ieſu ab Alexandro Farneſio Cardinale aedificatam.

STRVXIT Alexander regali munere templum.
  Compoſitum niueo marmore fulget opus.

Corpus

Corpus erat, nec erat qui animaret ſpiritus. At tu
Verbo infers animum, quod potes, alme pater.
Sunt animarum inſtar ſanctorum corpora templis.
Non contendam, vtri gloria maior erit.
Sed ſileat quicumque tamen, res ipſa loquetur
Illa fuiſſe hominis dona, ſed iſta Dei.

IV
AD EVMDEM
Reguli Iaponij.

SANCTE parens, quo nil melius Sol ſpectat ab alto
Aethere, nil maius maximus orbis habet.
Adſumus extremis diſiuncti ab Iaponis oris.
Dulce fuit longam corripuiſſe viam.
Huc pia relligio, tua nos huc fama vocauit,
Pandit vbi e ſacro vertice Roma facem:
Cuius & aſpectum par ſit vel morte paciſci,
Dum iuuet ante tuos procubuiſſe pedes.

V

AD. SIXTVM. V. PONT. MAX.
De obeliſco Vaticano.

TRANSLATVM ſede ex humili quod nobile ſaxum
Sancte pater ſtatuis nobiliore loco:
Non equidem temere, & Chriſti ſine nomine factum
Eſſe putem, cuius munera magna geris.
Virtutis monumenta piae ſunt. aſpera moles
Tollitur humana vix fabrefacta manu.
Infima quadrato pars nixa eſt marmore: ſurgit
Ordine decreſcens ſuſpiciendus apex.
Nec pila, nec radius, ſed mons in vertice, & aſtrum,
Et ſuper impoſitae ſunt ſacra ſigna crucis.
Haud aliter terras paulatim deſerit imas
Relligio, & caeli ſidera celſa petit.

VI

DE. EODEM

O QVI ſuſpenſis oculis & mente tueris
Ardua quae moles tollit in aſtra caput.
Hanc repete e Pharia quondam regione petitam,
Cum gemuit vaſto pondere preſſa ratis.
Edita multiiugis hanc machina ferramentis
Caeſare ſub Caio vix ſtatuiſſe poteſt.
Immota ex illis hodierna ad tempora manſit.
Quiſque, licet cupiens, grande reliquit opus,
Haec tibi Quinte olim ſeruata eſt gloria Sixte.
Tranſlata auſpicijs conſtitit illa tuis.
Tu ſaeuis tandem imperijs ſeruire coactam
Iuſta lege aufers, reſtituisque Deo.

VII

AD. FRANCISCVM. BENCIVM parentem meum,& praeceptorem optimum, cum ad eum miſi variorum poëtarum carmina de Sixto V.

ET PATER, & doctor, tibi debita munera ſume.
Filius haec mitto diſcipulusque tuus.
Carmina praeſtantum ſunt hic illuſtria vatum,
Cura quibus Sixti dicere facta fuit.
Pellege, & haec olim ſi quid numeraueris inter
Quod factum a nobis forte placere queat:
Gaude animo, fructumq. tui ne temne laboris,
Cuius & hoc, paruum quamlibet, extat opus.
Agricolae ſic ſaepe ſuo quam conſerit arbos,
Qualiacumque tulit, dulcia poma tulit.

VIII

AD. SIXTVM. V. PONT. MAX. Quo die inuiſit aedem S. Hieronymi Illyricorum.

IPSE tuum dum viſis opus ter maxime paſtor,
Haec ſupera viſus dicere ab arce Deus.
Caelitibus pia templa locas: vt plurima poſſis,
Quae numquam intereant, ponere, viue diu.

IX
EPITAPHIVM. HELENAE quae in ipſo partu mortua eſt.

HIC HELENE iacet, in partu quae concidit ipſo,
Non ſecus ac pomis arbor onuſta ſuis.
Concidit, & caſu fetum concuſſit eodem.
Ille patrem moriens perculit, illa virum.
Vir miſer, & pater infelix. vixiſſet vterque:
Aut ſaltem haec, ſoboli quae foret apta nouae,
Mortua tu quamquam non es dulciſſima coniux
O mea, cui caeli ianua celſa patet.
Quod ſi aeterna tibi noſtro quaerenda dolore
Gaudia erant, tanti nos doluiſſe fuit.

X
EPITAPHIVM. BERNARdini Roſcij.

HIC ILLE Bernardinus extinctus iacet
Cognomine & re Roſcius: quando fuit
Vtraque lingua, & carminis cultu potens
Pollensque praeter ceteros. fuit, fuit,
Eheu, fuit, non eſt. niſi eſſe dixeris
Quem mortuum viua omnis aetas efferet.
Requiem precare lector, & felix abi.

XI
IN TVMVLO
cuiuſdam.

INTER mortales vixi moriturus, at inter
Caeleſtes aeuo nunc meliore fruor.
Cuncta iſtic celeri labi pede concita vidi,
Hic fixo intueor firma manere gradu.

XII
AD. ANDREAM. BENCIVM
germanum fratrem ex eadem Societate Ieſu vita functum.

CVM TIBI vita foret, frater cariſſime, tecum
Optabam longas, & ſine nocte, dies.
Vt mihi te nihil eriperet, non ſomnus, & eſſet
Terminus vt nullus dulcibus alloquijs.
Nunc contra incipiunt tacitae dulceſcere noctes,
Quae mihi te reddunt luminibusq. meis.
Noui equidem. Mors te rapuit germana Soporis,
Et mihi germanus fert miſeratus opem.

XIII

IN. FVNERE. IACOBI. SABELLI Cardinalis.

OBIIT. IACOBVS. SABELVS. CARDINALIS

Anagrammatiſmus

IDEO. VRBS. SANCTA. COLLABI. SIBI. VISA

OBIIT Sabellus Cardinalis optimus:
Ideoq. viſa vrbs ſancta collabi ſibi.

X I V.

In argumenta eiuſdem illuſtriora duo, quorum alterum nauis erat iactata fluctibus, cum hoc titulo. AGOR. NON. OBRVOR. alterum volans columba, cum hoc.

VOLABO. ET. REQVIESCAM

CYMBA volat pelago, volucris natat aethere in alto.
Vtraque caeruleum, qua pote, radit iter.
Haec remorum alis fluctu ſupereminet, illa
Remigio alarum nubila celſa ſecat.
Nunc auis & nauis requieſcite: portus vtrique
Obtigit, & dubiae meta reperta viae eſt.

De

XV

De eiuſdem columba
VOLABO. ET. REQVIESCAM
Anagrammatiſmus
CAELO. BEATORVM. QVIES

REQVIESCE iam Sabelle, iam caelum tenes
Caelo beatorum quies.

XVI

AD. INSIGNIA. F. HVGONIS
magni magiſtri militiae Meliten-
ſis, & Cardinalis.

HINC Tyrius vertex, illinc argenteus enſis:
Dat Petrus hoc, illud Paulus habere decus.
Hoc belli inſigne, hoc pacis: complexus vtrũque eſt
Vnicus integrae relligionis amor.

XVII

AD. EFFIGIEM
S. Hieronymi.

RVPE ſub exeſa curis confectus & annis
Mollia contorto verbere membra domat.
Tantum amor, & tuba, quae cineres animabit, & oſſa
Exciet ad ſummi iudicis ora, valet.

XVIII

DE. IMAGINE. DEIPARAE

Ad Titianum pictorem.

POLLICITVS fueras conſpectu ponere in vno
Quae bona habet tellus, quae bona Olympus habet.
Pinxiſti Mariam, diuini & pignora ventris.
Soluiſti pactam iam Titiane fidem.

XIX

DE. BEATISSIMA. VIRGINE

ex illis verbis Pſalmi cxliij.

Domine inclina caelos tuos, & deſcende.

ORNARE inſigni Mariam Deus ardet honore:
Tanto oneri virgo ſe negat eſſe parem.
Hinc lis iucunda: an ſummis magis efferat ille
Laudibus, an de ſe ſentiat illa minus.
Hic illam extollit, donisque ingentibus auget:
At ſe parte alia deprimit illa magis.
Maiorem facit hic, ſeſe gerit illa minorem.
Certat, nec paribus certat vterque modis.
Hic trahit, haec rurſus fundo ſe condit in imo,
Et ſeſe innumeris deſpicit vſque modis.
In ſe tota abijt, penitusq. abſtruſa receſſit.
Hanc Deus vt vincas, vna relicta via eſt.
Si vis namque potes ſublimem extollere, caelum
Inclina, caelo labere, victor eris.

DE.

XX.

DE EADEM IN CAELVM aſcendente.

ALMA parens nato in caelum laetante recepta eſt.
Terra dolet, fruſtra: ſed dolet illa tamen.
Non fuerat virgo terrae data, credita tantum.
Quae inuidia eſt reddi, cum repetita fuit?
Terrea debentur terrae, caeleſtia caelo.
Illa quid in ſancta virgine iuris habet?

XXI.

DE SS. BARPTOLEMAEO & Ludouico.

Quorum ſollemnia Romae in eumdem diem incurrunt.

HOS, quorum lux vna hymnos & gaudia iungit,
Vna ſimul iungit gloria, & vna domus:
Vnica diuerſo properata eſt tramite ſedes:
Huic regnum, huic pellis fecit ad aſtra gradum.
Grande tulit pretium, ſi mentem expendis, vterque:
Grandius at pretio munus vterque tulit.
Sideream nudo pellem caelum explicat illi,
Regnum illi melius dat ſine fine Deus.

XXII
AD. IMAGINEM. CONVIVII nuptialis in Cana Galilaeae.

SPVMANTES veteri pateras haurite Falerno,
Quas aqua dat melius fundere iuſſa merum.
Annuit oranti matri Deus: haud pote quicquam
Non fieri, haec verbo ſi petat, ille iubet.

XXIII
AD. MAXENTIVM. MARTYREM cuius qualis mors fuerit ignoratur.

IGNOTVM eſt, per quae poſuiſti vulnera vitam,
Dum Chriſtum intrepida morte profeſſus obis.
Sed tamen & poſitam ferro, victumq. tyrannum,
Et victricem animam conſcia fama refert.
Martyr es. hoc ſatis eſt praeſtans tua nomine virtus.
Nec martyr, qui non dura tuliſſet, erat.

XXIV
AD. EFFIGIEM. S. HAGNAE ex illis verbis Cant. cap. v. Dilectus meus candidus & rubicundus.

CASTVM caſta agnũ caſtae cõplectitur Hagnae
Dextera, ſed palmam laeua cruenta tenet.
Aſpice vt amplexu fruitur pulcherrimus agnus
Virginis, vt gaudet martyris eſſe ſinu.
Lac illum & cruor oblectat: nam virginis atque
Martyris eſt ſponſus candidus atque rubens.

AD.

XXV
AD. EFFIGIEM. S. FRANCISCI.

TE NE EGO Franciſce aſpicio, vel Chriſte? tabella
Vna tuam effigiem reddit, & vna tuam.
Quod ſi Franciſcus: noſtrae monumenta ſalutis
Vulnera cur palmas, corq. pedesq. premunt?
Si Chriſtus, quid vult oneroſa lacerna, nec altam
Dulce crucem pondus pendula membra grauant?
Induit, vt video, Chriſti Franciſcus, & ille
Franciſci vultus: alter vtrumque refert.
Quid non mortales cogat diuinus? in vnum,
Non animos tantum, corpora conflat amor.

XXVI
ALIVD

SANCTE patrum, ſpirans Chriſti expirantis imago,
Tempore quam nullo deleat vlla dies.
Quas etenim fers ipſe manus, fers ipſe pedesque,
Has tulit ille manus, hos tulit ille pedes.
Nec minus & tali transfixum cuſpide pectus,
Quale tibi patulo vulnere pectus hiat.
Cuncta eſtis ſimiles. illum qui forte verentur
Reddere, te ſaltem cur imitentur habent.

XXVII
DE. S. MARIA. MAGDALENE, ad Domini ſepulcrum Dialogiſmus.

QVIDNAM hoc eſt? mulier. quid agit? ſibi quaerit Ieſum.
Quaerit? vbi? in tumulo. ſed quid apertus? abit.
Viuus abit? viuus. mulier ſed mortua? ſic eſt.
Cur? vbi non vitam repperit, emoritur.
Spiritus aufugit? certe. quis reddet? Ieſus.
Quando autem? cerni ſe ſimul ipſe volet.
Perfer adhuc mulier: tibi mortuus ecce reuixit.
Nec feret vt propter ſe moriare diu.

XXVIII
De martyribus emblema. SILEX. FERRO. PERCVSSA

ICTA ſilex differt ſcintillas, & iacit ignem:
Si non icta foret, frigida & atra foret.
Dia fides vexata odijs, iactata periclis,
Quae latuere pio pectore prodit opes.

XXIX
TVS. INCENSVM

TVS honor eſt ſuperis, odor eſt mortalibus, vt ſe
Leniter in ventos explicuiſſe poteſt.
Irrita ſed ſpes ſit tenues euadere in auras,
Flamma niſi in nubem ſoluit odoriferam.

Caſta fides terris grata eſt, gratiſſima caelo:
Hoc animos, illae fortia facta vident.
Nec memoranda aeque, quam cum pietatis amore
Splendet in accenſis inuiolata rogis:
Laetus & in medijs martyr canit ignibus, Vror,
Vror, vt hoc Chriſti fragret odore domus.

DISTICHA

I

Ad effigiem Chriſti redimiti ſpinis.

STAT roſeo, e ſpinis, capiti intertexta corona.
Cur metuis ſpinas eliciture roſas?

II

Ad Chriſtum, dum cruci affigitur.

CHRISTE meus, cruce dum ſuffigere, crux vtinam ſim,
Vt mihi te numquam diuidat vlla dies.

III

De rupe Caietana, quae dirupta dicitur in domini noſtri nece.

VNA erat haec quondam rupes, nunc diſſita, montes
Interitum domini cum gemuere ſui.

IV

Ad effigiem Chriſti domini, & B. Io. Baptiſtae puerorum colludentium.

LVDENTVM ſpeciem referunt pucrilibus annis,
Quos iuuenes morti dedere ludus erit.

V

Ad effigiem S.Petri.

PANDE fidem chartis, caelũ qui clauibus: ante
Non patet hoc, rectam quam paret illa viam.

V I

Ad effigiem S. Ioannis Euangeliſtae.

ALTA petit celeri penna, propiorq. tonanti
Fulminat, innocuo fert aconita calix.

V I I

Ad effigiem S. Gregorij Magni.

QVAE vigilata, Deo ſcribis dictante, legenda,
Atque eadem nobis da facienda pater.

V I I I

Ad effigiem S. Franciſci.

VITA mihi eſt Chriſtus, tulerunt cui vulnera mortem:
Horum ego perfoſſo corpore ſigna gero.

I X

Ad imaginem B. Catharinae Senenſis coram Chriſto cruci affixo.

CHRISTE ignis, ſignumque: ego cera: emollijt ignis:
Cera dabit ſpeciem ſigno inigente tuam.

X

Ad vas aquae luſtralis.

HAC quoties ſacra frontem conſperſeris vnda,
Fac ſubeat Chriſti quam dedit vnda latus.

Ad

X I

Ad ſolarium matutinum.

ASPICIS *hic primas orientis luminis oras*
Neſcius occidui ſera quid hora ferat.

X I I

Ad effigiem S. Iuliani. cuius ſinguli vitae gradus circumiectis imaginibus exprimebantur.

Ceruus ſaucius vaticinatur.

TEMPVS *erit, ne accerſe, tuo cũ vulnere (mirum)*
Ceruus ait, vitam fundet vterque parens.

X I I I

Deiparam deprecatur.

POPLITIBVS *flexis, ſcelus hoc auerte, rogantem*
Audijt alma parens, admonuitq. fugae.

X I V

Migrat e patria.

CARPIT *iter venator eques, patriãq. parentesq.*
Ignaros (pietas ſic monet ipſa) fugit.

X V

Excipitur a rege.

EXTERA *regna ſubit profugus, regemq. ſalutat,*
Nec fore ſe indecorem datq. petitq. fidem.

X V I

Ducit vxorem.

VXOREM *ducit formaq. fideq. potentem,*
Quam Deus aeterno foedere rite iugat.

X V I I

Eius parentes ad vxorem illo abſente diuertuntur.

EXCIPIT *hoſpitio ſoceros abſente marito,*
Et thalamo coniux interiore locat.

XVIII

Decipitur a daemone.

IN NVNC, crede tuae, coniux incaute, puellae:
Dum procul es, iuuenem flagitioſa fouet.

XIX

Parentes interficit.

AH QVID agis? cur ignotũ ſine crimine (dudum
Quod fugis) obtruncas cum genitrice patrem?

XX

Poenitet parricidij.

CONIVX, admiſi facinus, reuocabile non eſt:
Sed tamen hanc culpam debita poena luet.

XXI

Trans flumen viatores humeris portat.

STAT prope fluctiſoni ſtagnantes fluminis vndas
Traijciens pedites, inualidosq. leuans.

XXII

Angelus Iulianum alloquitur.

SAT lacrimis poenaeq. datum: tibi culpa receſſit.
Haec Deus aligerum verba referre iubet.

XXIII

Moritur.

POST varios caſus caeleſtes peruolat auras
Spiritus, in terris corpus inane iacet.

Finis libri quarti.

FRANCISCI BENCII

E. SOCIETATE. IESV

ERGASTVS

DRAMA

Ante diſtributionem praemiorum, in Gymnaſio eiuſdem Societatis.

ROMAE, III. Kal. Nouembris. CIↃ. IↃ. LXXXVII

DRAMATIS PERSONAE

PROLOGVS

ROMANVS.	HOSPES
TROPHIMVS.	HONOR
ERGASTVS.	VIRTVS
ARISTVS.	FAMA
PANVRGVS.	GLORIA
CHORVS.	IVSTITIA

POESIS

EPILOGVS

PVER. FAMVLVS. GLORIAE

PROLOGVS

ROMANVS. HOSPES

SACRI SENATVS lumina, Illuſtriſſimi
Saluete Patres. Principum clarum genus
Saluete. Voſque ceteri, noſtram quibus,
Quaecumque ſit dicenda, non viſum eſt graue
Ornare veſtra fabulam praeſentia,
Et ludicris res ſerias poſtponere.
Nam ludicra audietis, vt moneam prius,
Ne forte quiſquam conqueratur poſtea,
Nec digna veſtris eruditis auribus.
Sed quis per hoc proſcenium affectat viam?
Deſcende. HOS. Iuuenis, ne peregrinum aduenam
Hominem repelle, ne ſit eiecto pudor.
ROM. Loquitur Latina lingua. HOS. Etruſcam neſcio
Nouitius hoſpes. ROM. At iſta confidentia eſt,
Huc ire, & impedire rerum exordia.

HOS. Vbi irrita eſt modeſtia, interdum eſt opus
Audacia. RO. Bona verba. HOS. Ne clama obſecro.
ROM. Quis tu? quid hic negotij eſt tandem tibi?
HOS. Audi parumper. RO. Audiam. Sed tu interim,
Quaeſo, hoſpes, id quod commodo fiat tuo,
Deſcēde. HOS. Nam quae humanitas? an nō vides?
Nullus ſedendi, nullus eſt ſtandi locus.
Vt reperem huc, vix tantulum inueni viae.
ROM. Quid igitur hic facturus? HOS. Vtcūque audiā
Tragoediā, quae eſt danda. RO. Nunc hoſpes, potes
Abire. HOS. Cur? RO. Tragoediam nullam audies.
HOS. At rumor eſt. ROM. Id Roma curat ſcilicet.
HOS. Magnū agmen hodie veſtium & clamydū ferūt
Huc ipſe. ROM. Quippe pedibus inceſſit ſuis.
Vbi hoc, quo operta eſt ſcena, ſipparium rude
Ponetur, ibi ſeſe eſſe falſos ſentient
Multi, vt verendum, ſaepe ne explorent fugam.
HOS. At quicquid eſt, tu temere ne extenues vide.
ROM. Certe eſt tragoedia nulla, iam nunc deſine
Sperare. HOS. ſed comoedia. RO. at ne iſtaec quidē.
Ne quaere: numquā inueneris. HO. iam quod ſuper
Drama eſſe poſsit? quod? tragicocomoedia
Commiſta vtriſque. ROM. Amicus es Plauto ſatis.
Quaſi alterum haud queat eſſe ſermonum genus
Aptum theatro. HOS. Satyra, Lucilius velut
Varroq. Iambis ſcripſit olim taetricis
Ad inſequenda vitia propoſitum genus
Comoediae priſcae? RO. Hoſpes, antiquus nimis
Simplexq. mi videris: hos quiſquam audeat
Aut debeat reprehendere? HOS. At Mimos datis.

ROM. Captetur vt ne riſus? haud mimi ſumus,
Nec agimus hiſtrioniam, quod tu putas.
HOS. Bucolica? RO. iam nunc maxime Italiſſas: meis
Me tectius ſaltem artibus circumueni:
HOS. Oſci ne ludi quos celebret planipes?
ROM. Bona es memoria: inſtructus huc iſti ſatis.
Scis fabularum nomina, & noſtram tamen
Non repperiſti. HOS. Quaerito. RO. Interea caput
Sic ſcalpe. HOS. Quid me ludis? an habendus diu
Suſpenſus eſſe videor? hic mihi rem explica.
ROM. Quam? HOS. quam rogabo. ROM. tu ordine vt rogites, vide.
Praeter rogatum nil tibi reſpondero.
HOS. Quid hodie agetur hic? RO. dabuntur praemia.
HOS. Quibus obſecro? ROM. victoribus. HOS. Quibus artibus?
ROM. Quibus ſtudent: ſeu ſit ſoluta oratio
Latina, ſiue vincta metrorum modis,
Siue Attica. HOS. at viciſſe quos debent? RO. ſuos
Quique aemulos. HOS. Quo ſtadio? ROM. in hoc Collegio.
HOS. Etiam ſeuerioribus qui claſſibus
Theologiae, Dialecticae, Philoſophiae
Dant operam? ROM. at hi diuina poſcunt praemia.
Et eſt labore quilibet laetus ſuo.
HOS. Quibus igitur? ROM. Praecepta qui primum hauriunt
Grammatica, & his, qui perpoliri litteris
Quae ab homine ducunt nomen, attenti ſtudent.
Et queis ſupremam rhetor impoſuit manum.

HOS. Quod pace fiat omnium, qui nos vident,
Et audiunt, doce alia, ſi vero placet:
Cuncta haec ſciendi iniectus eſt ardor mihi.
ROM. At tu tamen, quod pace dicatur tua,
Es curioſus: iſta tam ſubtiliter
Faſtidioſeq. excutis. Romam quaſi
Haec vna fuerit cauſa veniendi tibi.
Aliena curas, vereor, excuſſus tuis.
HOS. Tu curioſum vtcumque me vocites licet:
Nō ſum maleuolus. RO. audio. HOS. deinde eſt bona
Nonnulla curioſitas. ROM. quidam hoc ferunt:
Et curioſos eſſe dicunt garrulos.
Quicquid rogabis, expedi. at paucis roga.
HOS. In quot videntur eſſe qui munus petunt
Claſſes tributi? ROM. cuncta me ſcire haec putas?
Sex ſeptem. at haec tibi eſſe debebunt ſatis.
HOS. Niſi grauare, addatur hoc vnum ſuper.
ROM. Age obſequar. HOS. quae praemia parantur?
ROM. libri,
Et ſumptuoſi HOS. gaudeo. ROM. Quorſum rogas?
HOS. Domum vt reuerſus cuncta narrem ſedulo.
ROM. Nunc arbitror tibi prorſus eſt factum ſatis.
HOS. Satis. tibiq. maximas grates ago.
Manere liceat. ROM. liceat. HOS. Expectatio
Me magna veſtrae fabulae, vt fatear, tenet.
ROM. Huc vade, poſt aulaea tum tacitus ſede.
Tibi, vt redibo, forſan orabo locum.
Quid hic agendum, quidve dicendum foret,
Proceſſeram dicturus: at noſtro hoſpiti,
Dum vellicatim ſingula requirit, modo

Dixi omnia, vt ſupereſſe iam poſſit nihil,
Praeſciſſe quod vos deceat. hic omnes precor,
Quando quid hoc ſit fabulae cognoſcitis,
Maiora quoniam haud licuit in praeſens dari,
His, quae, vt fatemur, parua ſunt, ignoſcite.
Quod ſi placere haec ipſa non poſſunt, tamen
Placeat placendi ſtadium. at increpuit rudens.
Velum arbitror demittitur, & exit foras
Qui narret argumentum. adeſte, attendite.

ACTVS PRIMVS

TROPHIMVS. ERGASTVS ARISTVS

BEATA caeli templa, ſidereas domos,
Quo pandit animi robur, ac Pietas, viam,
Dudum relinquens, has colens terrae plagas,
Quas Mors Laborq. ſorte communi tenent,
Adſum miniſter fidus aeterni Patris:
Illa e cohorte, quae triumphantum choris
Permiſta laetis, gaudet, & ſacrum Dei,
Ebria tuendo, & ipſa vix compos ſui,
Lumen tuetur ſemper, & ſemper canit
Laudes Parentis ore tergeminas pio.
Mox iuſſa praeſtolatur, vt curet frequens
Igne impotente citius, ac volucri Noto.

Caeleſtis adſum ſpiritus, cuius leuem
Nemo adſpiceret imaginem, aliena forem
Ni craſsiore amictus: hoc circumdedi
Aptum videri corpus, & tangi manu,
Hominum ſaluti ac dignitati ſeruiens.
Neque hoc pudendum, nec recuſandum mihi,
Aut Haelitum cuicumque: cum mentem ſubit
Memoranda vis amoris, exemplo & modo
Votoque maior, illa, quam natus Deo,
Deus ipſe, caeli genitor, ac terrae ſator
Oſtendit, vltro amplexus humanum genus:
Hui ne inſita animo peſtis, & patrium ſcelus
Inſtar veneni diditum, mortem daret,
Indutus hominis ora, quae numquam exuat,
Sanguine medelam peperit, & vitam nece:
Hominemque, quem condiderat, vt paruo gradu
Noſtro ordine minor eſſet, excelſum ſupra
Omnia, locauit in poli faſtigio,
Quod noſtra mens defixa, ne attingit quidem.
Ergo, quod auctor omnium, & rector Deus,
Qui capite caelum ſuperat, & terram premit
Pedibus trementem, appetijt, hoc famulus ſibi
Neget decorum, nec magis rapere occupet?
Quod ille quondam corpus adſciuit ſemel,
Numquam relinquet: ipſe tam ſpatio breui
Nube hac caua grauabor? O vtinam mihi
Liceret etiam ſanguinem, & vitam ſuper,
Per tela & ignes, fundere: imitarer meum
Vtcumque regem. nunc enim tantum bona
Supereſt voluntas: ſed voluntati comes

Deſit

Deſit facultas: illud haud fieri poteſt:
Hoc quod poteſt, debetq. per me ipſum geri,
Geratur vſque: debita vt ſoli Deo
Deus efferatur gloria, & caſtas beet
Pax alma terras, plauſus accedat recens
Superum theatro, ſi quis infami iugo
Tyranni, & atro carcere, immundo & luto
Emerſus alte, vindicet ſeſe ſibi,
Soluatq. vincla, & lacrimis culpas luat,
Veterem peroſus, ordiens vitam nouam.
Haec noſtra cura eſt omnium, hic omnes habet
Iucundus ardor, quotquot e caelo Deus
Hominum miniſtros voluit, & fidos viae
Comites, ducesq. dum per obſtantes dolos,
Per falſa rerum gaudia, & inanes metus,
Hereditatis commoda, & iura occupent
Salutis almae, vt filij, ſi quos Pater
Dilexit aequus, antequam Solis iubar
Iuſſas per vmbras orbe fulgeret nouo,
Quem ſtupuit alta e nocte diſcluſum Chaos.
Inſtamus omnes muneri, & prouinciam
Quam quiſque nactus, quiſque procurat libens:
Hoc laetius, quod iuſſa dum ſummi Patris
Haurimus omnes, ille ſeſe ſingulis,
Qualis videri & quantus in caelo ſolet,
Offert videndum. Munus hoc ceſſit mihi:
Permiſſus olim, lumen vt vidit, puer,
Stemmate parentum nobili, & claro ſatus,
Eſt primo ab ortu Ille ipſe nunc exit foras.
Abibit, vt me hic eſſe primum ſenſerit.

ERG. *Alios,*

ERG. Alios, vt aiunt, vxor exturbat domo,
Fumus alios, me frater: hic lacrimas ciet,
Quam fumus acer, acrius: querulus magis
Nauſiſtrata quacumque, vel ſi quam vetus
Deſcripſit olim fabula: vt ſatius putem
Vel auribus carere, vel certe domo,
Ne obtundar vſque iurgio. Ecce autem alterum.
Vitaſſe fumum credidi, in flammam incidi.
Vbiuis manere eſt melius. TRO. Haud aliter fugit
Trepidus pauensque, quiſquis horrentem iubis
Offendit anguem. Certus huic cuſtos datus
Aſſiduus haeſi, & ſedula vt nutrix, dies
Noctesq. foui, reppuli, ſi quod malum
Ipſi imminebat noxium. Saepe vt ſolent
Multa imminere neſcijs mortalibus.
Morbos abegi plurimos, caſus videns
Caecos, ne obeſſent, arcui: & menti, & manu,
Nec cogitanti plura ſuggeſſi bona.
Quando ille monitis paruit, quae clam dabam,
Annis tenellis, laetus inſtinctu meo
Vincebat alios indole, & terrae velut
Purus ſerenum Lucifer ſpondet diem,
Prope vitae in ipſo limine, ingenti ſuis
Spe praenitebat poſteris, aetas ſimul
Firmata vires ferret, ac faceret virum.
O vana mens mortalium. O numquam grauis,
Auraq. ſemper leuior, & Ponti freto,
Quod feruet aeſtu, & turbine, exundans magis.
Res magna, quam narrare non quiſquam queat,
Ventos laceſſens aquila, per caelum citis

Euecta

Eucta pennis: coluber incedens leui
Per ſaxa lapſu, marmore in leui, ſui
Nullum relinquens corporis veſtigium:
Denique, per vndas pinus & ſpumas ruens
Pelagi tumentis. Sed quid haec tandem tria
Vnam ad latentem, & penitus ignotam viam
Iuuenis procacis, cuius occipiens modo
Ver molle, non dum flore veſtierit genas?
Difficile quantum eſt regere iuuenilem impetum.
Vt ventum ad annos, eſſe quos iuris ſui
Putant iuuenci, & ruere certatim ſtudent,
Nullo parentum, vel magiſtrorum metu,
Plerumque, qua facilior & praeceps via
Trahit volentes, conſili expertes boni:
Niſi opprimatur illico exiſtens malum,
Ne longiore robur accipiat mora:
Primum eſſe tardus coepit ad monitus meos,
Mox inſolens, dein ſurdus: atque alias agens
Res, noſtra temnit verba: nec quidquam magis
Timere videor, quam malos hoſtis dolos,
Qui ſimplicem vſque captat adoleſcentiam,
Vt in barathrum, & Mortis imperium trahat.
Id ipſe metuens, & hominum moris memor,
Qui ſenſibus perſaepe ſe duci ſinunt,
Velut oculis ſit habenda, non menti, fides:
Hominis figura tectus, vltro me obtuli
Huius parenti, liberorum ceu ducem,
Quos ipſe geminos vnice caros habet,
Non aeque amandos: vnius mentem tenet
Virtutis ardor inclytae. En ipſe huc venit:

Germanum

Germanum opinor quaeritat. ARIS *Quo te miſer,*
Quo te abdidiſti frater? hac quaeram via?
An hac? an illa? TRO. *Ariſte fratrem quaeritas?*
ARIS. *Ipſum magiſter, aedibus dudum exijt*
Iratus. TRO. *Age iam redijt: inuenies domi.*
Sed temperatius agito. ARIS. *Faciam vt mones.*
TRO. *Hunc ipſa Virtus compede aurata tenet*
Arcte reuinctum: iuuenis hanc vnam pie
Amat colitque. haud fertur affectu pari
Meus alter. hunc monere germanus ſolet
Habere cupiens aemulum, exemplo, & prece:
Sed lentus ille, praepete & pleno gradu
Refugit rogantem, & antecedentem ſequi.
Virtutis hanc eſſe arduam clamat viam,
Notamque paucis, aſperam, anguſtam, horridam,
Imperuiam, & feris inexuperabilem:
Contra, hanc doloſae quam Voluptatis videt,
Mollem, expeditam, plurium veſtigijs
Tritam, ac patentem. Caecus obſtruxit furor
Aures iuuentae: hunc pellere vrgemus duo:
Nec vincimus. Tu ſumme cunctorum Pater,
Qui iuſta numquam vota fruſtraris virum,
Ades rogate, vtriuſque conatum iuua:
Ne gaudeat praeda hoſtis, & caelum nouis
Auctum triumphis, gratiae ſenſum nouae
Teſtante mente, gratias dicat nouas,
Similesq. menti vocis ingeminet ſonos.

CHORVS.

INCLYTVM Caeli genus, o beati
Principes, ſummi Patris adminiſtri,
O quibus mentem Deus ipſe claro
Lumine complet.
Siue conatum furialis hoſtis,
Qui Deo ſeſe ſimilem ferebat,
Pellitis regno, Michaëlis almi
Signa ſecuti.
Siue ter circum triplici corona
Siſtitis regem dominantis aulae,
Exequi ardenti ſubito parati
Pectore iuſſa.
Siue compreſſis reuerenter alis
Sacro ab obtutu faciem tegentes,
Ter iuuat cantu geminante eaſdem
Dicere laudes.
Seu magis terram, miſerosq. terrae
Incolas, prompti ſtudijs fouetis,
Et manu prenſos comites ad altas
Ducitis arces.
Eſte felices, memoresq. noſtri:
Supplices ſic vos homines precamur,
Vno vt exemplo polus atque tellus
Seruiat vni.
Tu potens rerum ſator, atque cuſtos,
Qui ſupra celſum reſides Olympum,
Caelitum coetus hominumque firmo
Foedere vinci.

ACTVS SECVNDVS

ERGASTVS. ARISTVS

SEMPER ne eamdem fabulam
ſurdo canes,
Semper moleſtus, ſemper infeſtus
mihi?
Numquam ne, per te, vtrique mi-
nuetur labor
Iterata toties verba fundendi tibi,
Mihi audiendi? Tolle conſilium ac preces.
Mitte iſta tandem dicta. ARIS. Quin frater magis
Mitte iſta tandem facta. Si menti eſt graue
Audire me, te reſpice: haud dignus tuae
Pueritiae exitu hic orſus adoleſcentiae.
Quis te puer modeſtior? de quo fuit
Spes maior vmquam? cuius incenſum magis
Ardore honeſti pectus? vnde iſtaec tibi,

Et tam repens mutatio? Ad te ipſum redi.
ERG. Redeam: quaſi abierim ad alios: nuper fui
Iuris alieni, timidus & caecus puer,
Horrensque nutum, & nomen irati patris.
Iam tandem aperta lumina: & catulis licet
Late euagari qualibet. factum eſt diu
Quod ſuaſit aetas illa: nunc aetas mihi
Mensque alia: quaero ſeria, abieci nuces:
Parere par eſt tempori. puerum metus
Pudorque, iuuenem pulchra libertas decet.
ARIS. Quaeruntur ecquae ſeria? apricae plagae,
Campi virentes, fontium dulcis liquor,
Colles amoeni, floribus ridens nemus,
Equi, caneſque: haec illa libertas tua.
Quin ea magis curanda: doctorum ſcholae,
Praecepta vitae, dicta ſapientum virum,
Quibus paratur gloria, & verum decus.
Longam iuuentam iuuenis & vitam cupis?
Viuas ſenectae oportet ac mortis memor.
ERG. Cane iſta ſapiens grandibus, longa viris
Aetate feſſis: hi ſenectutis malum
Sermone vario leniant totos dies:
Quibus voluptas omnis aeuo euanuit
Dilapſa ad aures. Alia ſunt iuuenum bona,
Quibus fruendum jugiter. Quiſquis ſapit
Diem ante, deſipit. ARIS. Et tamen dulcis mihi
Aetate in hac (habenda Superis gratia)
Sapientiae amor & cultus. ERG. Haud mirum, tibi
Si dulcis eſt; de ventre materno, vt ferunt,
Tyrrhenus alter, Cycnus alter Troicus,
Canum

Canum extuliſti verticem. Es natus ſenex
Ariſte: nobis, antequam ſimus ſenes,
Iuuenibus eſſe contigit. ARIS. Vereor, ſenex
Vt ſis, miſelle: neve, ni facti pudet,
Ferare praeceps, vnde prolapſum pedem
Extrahere nequeas, merſus in vaſto ſpecu.
Videor videre, Ergaſte, nec longa eſt mora,
Cum meque, teque, ſaepe, fruſtraque, & diu,
Clamabis: heu, te mentis expertem bonae,
Et me malorum, quae tibi impendent, miſer,
Verum augurem fuiſſe. Iam crede haec mihi.
Non veriora Pythia. ERG. Ecquando tibi
Tripodi inſidere licuit? Ecquando ſpecu
E Delphico es progreſſus? O vatem nouum.
ARIS. Etiam ne rides? faſcinauit te, reor,
Malignus aliquis, frater. ERG. Ad laudem tibi
Praefiſcine addebatur: haud potuit mala
Vmquam nocere lingua. ARIS. Nam cur te, rogo,
Vitae prioris poenitet? ERG. Vitam vocas
Plenam laboris anxij, & curae, & metus?
ARIS. Merces decorae iuſta Virtutis labor.
Virtus beatae Gloriae & Honoris parens.
ERG. Vmbram eſſe quamdã gloriã, & honorẽ, leuem
Auram, magiſter docuit. Haud iſtaec moror
Ventoſa, nihili nomina, & nugas meras.
ARIS. Haec, ſcilicet, quam nebula nubifero tulit
Inflata partu, & vulgus ignarum fouet.
Aſt alia ſolida eſt Gloria, & Honoris ſoror,
Virtute nata: cuius effigiem ſemel
Si fas tueri, frater, oreretur ſtatim

De viſu amor, de amore potiendi bono
Ingens cupido. Quin & obſtaret nihil,
Quo minus ad alti montis erectum iugum
Celer euolares. ERG. *Euolem? eſt alis opus.*
AR. *Amor addet.* ERG. *At tu Perſea inuenias licet,*
Me terret Icarus. Adde quod tardum gero
Nec volucre corpus. ARIS. *Tollet elatum velut*
Quadrupes ſuperbus, certus & patiens labor.
ERG. *Quidni? futurus ipſe Bellerophon eques:*
Metuo Chimaeram. ARIS. *Tute quam fingis tibi.*
Quid fabulas eloqueris? ERG. *Eſt par pro pari*
Nempe referendum. ARI. *Fabulã pulchrũ putas*
Virtutis almae verticem, & mentis bona?
ERG. *Haec quippe non eſt fabula: haec lenis via,*
Opaca, facilis, quae vel aſpectu queat
Hilarare mentes. Cernis, vt ſpirant leues
Fauonij, vt viridem arborum ſenſim comam
Auibus canentum ventilant? flores viden'
Et hinc, & hinc, vt dulce certatim croco
Tyriae colorem purpurae, vt purae niui,
Quam cana pandunt lilia, rubentes roſas,
Violas liguſtris, aureas ferrugini
Miſcere gaudent ſtellulas? rurſus viden'
Vt laxat hinc, hinc colligit tellus ſinum,
Hac tollit, illa parte demittit caput
Redimita cultis collibus? viden' vt viret
Nemus omne, & illa e rupe montana cadit
Fons obſtrepens, ipſoq. lucidior vitro?
Vt ad lapillos molliter frangens aquam,
Flexu recuruo, gramine in picto vocat

Placidum ſoporem? ſenſui vt ſemper ſua
Omni eſt voluptas? ARIS. Qualis hac ſpecie latet
Et quanta peſtis. ERG. Sed voluptatem palam
Hic conſpicor: de peſte, ſi quando caput
Forte efferet, tunc videro. Haud deerit malo
Medicina aperto. Stultus eſt certus timor,
Ni certa paret cauſa. Cur metuis roſas,
Timorque nullus ſentibus ab iſtis tuis,
Qui ſe offerunt videntibus? ARIS. Neſcis boni
Sit quantum in illis. ERG. Neſcio: at acutis rubi
Vepribus teguntur: denſi tribulorum ſeges
Cuſtodit aditum: & ſicut immitis canis,
Quam ſaeua rabies improba inſtigat fame,
Hiante ſemper rictu, & exerta gula,
Vulnus minatur dentibus. At vni tibi,
Credo, hoſpiti, notoque, non parcet modo,
Sed lambet etiam crura: ſudabit ſtatim,
Vbi te te adeſſe ſenſerit, tellus, recens
Cum melle amomum: fiet extemplo roſa,
Quacumque laetum fixeris felix pedem.
ARIS. Vin tu periclum facere? Mihi certũ eſt viam,
Quamquam ardua eſt, tentare. Vin frater ducem
Me conſequi? vel praeire? ductorem ſequar.
Heroës hac iere. ERG. Nos numerus ſumus.
Tu maior es. Praeire maiorem decet.
Premenda ſunt conſilia. Magne heros vale.
Caue, ne vbi alte aſcenderis, & alte cadas.
ARIS. Solus relinquor. Adiuua audentem Deus.

ARISTVS. PANVRGVS

QVID hoc? labaſcit animus, & pigrum gelu
Per ima currit oſſa: properantem gradum
Quis prohibet vltra ferre? cur torpent pedes;
Tremuntq. genua, & corpus ignauum ſtupet?
Quae me vmbra, quae me pellit inuitum retro
Infeſta dextra? quis horror arrexit comas?
An eſt loci relligio? an antiquus dolos
Intentat hoſtis, fingit & vanos metus,
Vt arceat tyronem in ipſo limine?
Sic eſt. Magiſtri dicta nunc repeto memor,
Quae fixa mente ſemper haeſerunt mea.
Quandoque Ariſte ad ſumma Virtutis iuga
Tentabis aditum, prouide & caute tuam
Rem perage, te ad pericula & pugnam para.
Haec ille. Mecum haec ipſe voluebam, malo
Non cedere vlli certus: haud coepti piget.
Nunc nunc parato pectore atque animis opus.
Nihil agis amens vmbra: me nullus labor,
Me nulla terrent monſtra: ſunt dudum mihi
Prouiſa cuncta. Perſequi hanc certum viam,
Qua me (rogo equidem) ducit, & firmat Deus.
Duce hoc, per ignes ibo, & horrentes nigrae
Mortis per vmbras, vlla nec metuam mala.
Per horrida & inacceſſa mihi pandam exitum.
Sed quis, per haec dumeta, per ſpiſſum nemus
Ingreſſus eſt? Per inuium nulla eſt via.
Heu ſentibus conuulneror: ſanguis fluit.

Quam paene pes immerſus euelli nequit.
PA. Sine adiuuē te Ariſte. AR. Quae vox hinc ſonat?
Quis nominat? quid hominis ignotum mihi?
PAN. Socius parentis, hoſpes antiqui laris.
ARI. Nomē? PA. Panurgus. AR. Omē auertat Deus.
Numquam ante viſus. PAN. Viſus at fratri tuo,
Et ſaepe. Nam quae vulnera abſtergēs manu?
ARIS. Statui ſubire ad verticem. ſed me truces
Spinae repellunt primo in aggreſſu. Tamen
Semel eſt eundū. PA. Stulte, quo adſcensū paras?
An ad ruinam? Fallit incautum tua
Te mens amice: ſeptus eſt omnis rubis,
Per crebra ſaxa, & inuias rupes, locus:
Et quo magis proceſſeris, clauſus magis,
Seſe inter implicantibus nexu graui
Caecoque ſiluis: laqueus inijcitur pedi
Capitique, tortu vbique multiplicabili:
Praecepsq. lapſus vndique & Mors imminet.
Nam paululum ſi erraris, aut fallat gradus,
Actum eſt: periſti. Cernere hinc certe licet
Campos ſepultos inſepultis oſſibus
Iuuenum, ſenumque, & magna cupientum virum,
Amentiae dedere qui poenam ſuae.
ARIS. Perinde loqueris, atque luſtrata haec diu
Oculis fuiſſent omnia. Ecquando pedem
Tute intuliſti? eloquere. PAN. Men caſus iubes
Renouare acerbos? AR. te rogo. PA. Et poſſim tibi
Quicquam roganti deeſſe? AR. Sed quorſum pedes
Talos ad imos veſte deducta tegis?
PAN. Fui, fui: nec quiſpiam ex illis fuit,

Quibus manere, aut ſcandere exin contigit,
Sedere ſede celſiori dignior.
Verum repente exturbor: & fractus pedes,
Laeſusq. membra, & ora turpatus luto,
Vallem ſub imam decidi, & nigrum lacum,
Vno impetu: quoq. altior vertex erat,
Grauiora ſenſi. Parce cauſam quaerere,
Aliena ſed te exempla quid doceant vide.
Fruere Iuuentae commodis: aetas fugit
Amni fluenti ſimilis, atque vmbrae leui,
Reditura numquam. Viue, dum viuis, memor
Mortis ruentis. Vnus eſt vitae dies,
Neque ille longus: ſequitur aeternus ſopor,
Noxque vna Mortis. Multa quid caecus breui
Iacularis aeuo? carpe praeſentem diem:
Roſisq. frontem incinge, ne areſcant prius.
Incerta certis, craſtina hodiernis, bonis
Mala anteferre, vanus & ſtultus labor.
Gaudere tantum eſt hominis: hoc potuit ſuum
Dixiſſe, quod laetata mens hauſit ſemel.
Vigeat Voluptas cetera, & curae, & dolor.
ARIS. Hei compta timeo verba. Blanda oratio
Dulce eſt venenū. PAN. Temere nil metui decet,
Ni ſis probando expertus. AR. Haud tutū eſt malū
In ſe experiri. PAN. Quicquid ignoras bonum
An ſit, malum ne dixeris. ARI. Quicquid malum
Ne ſit timebo, haud fecerim. PAN. Experto fides
Seni eſt habenda, o iuuenis. ARIS. Ignoto fides
Panurge nulla habenda. PAN. Tu ignotum vocas
Socium parentis? ARIS. Ante non viſus, mihi

Ignotus eſt. PAN. Conſilia quae dedimus modo
Probant amorem. ARIS. Nulla peiora inuidus
Dediſſet hoſtis. PAN. Conſulo vitae tuae.
ARIS. Ego dignitati. PAN. Iure ne iraſcar vide.
ARIS. Timenda non eſt ira, qua infirmus tumet.
PAN. Infirmitatem ſtulte ne obiecta mihi.
ARIS. Laeſiſſe verbis, foede, non rebus potes.
PAN. Sed foedus, atque infirmus, experiar minas.
ARIS. Fruſtra tonabunt virium expertes minae.
PAN. O ſi quid hoc ſit roboris, ſcires puer.
ARIS. Vt iſta temnam cuncta, ſi ſcires ſenex.
PAN. Nihil timere, aetatis eſt vitium tuae.
ARIS. Tuae, minas iactare, cum frigent preces.
PAN. Es ſolus, & per ſola nil metuis loca?
ARIS. Qui me adiuuat, facit eſſe ſecurum Deus.
PAN. Sequere hac inepte. ARIS. Ten ducem incautus ſequar?
PAN. Manu prehēſum traxero. ARI. Haerebo tamē.
PAN. Cogere. ARIS. Fruſtra. PAN. Quid agis? ARIS. Iratum intueor.
PAN. Rides? ARIS. Dolentem. PAN. Quis tibi hos animos? ARIS. Deus.
PAN. Iam poenitebit. ARIS. Ferte caeleſtes opem.

TROPHIMVS. ARISTVS

QVIS hic? quis hic tumultus? o facinus ferum.
Propera proterue in Noctis aeternae Chaos,
Mergere profundo in carcere, aſsiduus mali
Auctor, reusque, & vltor: hic iuſta preme
Poena nocentes, poena tu ſceleris tui.

Quis

Quis iſte Ariſte pallor infecit genas ?
Quis horror? animum recipe: quid ceſſas loqui?
ARIS. O quam mihi opportunus aduentus tuus ,
O dux, comes, magiſter, & cuſtos meus.
Sed quo ille ? TRO. Saeuas Orcus eructans faces
Repente merſum gutture abripuit nigro .
Quid ille te? quae rixa? quis clamor fuit ?
ARIS. Is me beatae celſa Virtutis iuga
Petere parantem, iamque nitentem gradu ,
Amicum ſimulans , voce , conſilio , ac prece
Auertere eſt conatus . Vbi demum videt
Coepti tenacem , offenſus , intentat minas .
Toruum intuens : haud terreor. Tandem truci
Flammatus ira, inijcere tentauit manus,
Vt me retractum ad ima praecipitem daret.
Sed me benignus ille reſpexit Deus ,
Qui velle me , quod voluit, vt poſſim dabit.
TROPH. Huic gratias age maximas ſumma fide,
Semel tributi muneris ſemper memor .
Quando his periculis vitae, & his anfractibus
Mortalis aeui, ſenta per tenebris loca ,
Menti coruſcum praetulit lumen tuae.
Quodque inchoatur, quodque perficitur, boni
Ipſe inchoator, ipſe perfector Deus .
Bonum omne ab illo. Sed vbi germanus tuus?
ARIS. Vbi me paratum vidit haud dubio gradu
Superare montem, abſceſſit: atque illud ſuum
Tenet obſtinate, vt dulcius ducat nihil ,
Quam quod Voluptas monſtrat ignauis iter.
TRO. Tu perge, cui mens melior: & coeptum graue

Ne deſere: & ſaxeta, & horrentes rubos
Peruince fortis: laxior ſenſim tibi
Minuſque dura fiet inſtanti via.
Grauis inſolenti, leuior aſſueto eſt labor,
Et ferre ſemper gaudia exhauſtus ſolet:
Qualiſque nubes Libyca diſcurſu leui,
Fugat timentes improbe, audentes fugit.
Quamquam ipſa Virtus quamlibet magno eſt peti
Labore digna: cetera vt deſint, ſibi
Se digna merces. Perage quod certum eſt iter,
Nec cede retrò inglorius. Turpe hoc quidem
Iactaſſe verbo, dura ſit quamuis via,
Velle ire, nec redire voti compotem.
Ne rideat te frater, & vanum vocet:
Cui debeas ne turpe ludibrium caue.
ARIS. Memorem mones magiſter. Aſt illum tamen
Mallem incitatum. TRO. Forſitan doctus malo
Conſilia referet in melius: & te ſequi
Optabit vltro. Aerumna frangit ſpiritus.
ARIS. Vtinam Deus ita faxit. errantem rege.
TROPH. Labor iſte meus Ariſte. Tu feliciter
Hoc age, quod agis. haud metue confiſus Deo,
Qui pulchra ſemper molientes adiuuat,
Nec deſerit, niſi antea deſertus eſt.
Precare, & aude. Numen in dubijs voca:
Aderit vocanti. ARIS. Funge tu noſtris tuas
Preces magiſter, optimo rerum Patri
Hoc gratior, quo melior. TRO. I fauſto pede
Quo mens vocat Deuſque. non paruum feres
Parui laboris praemium. Virtus viden,

Quam glorioſa decora praetendit manu?
Quocumque vocitat illa, conuerte huc gradum
Celer, & vocanti obſequere: nec durum puta
Per confragoſa nemora & anfractus ſequi.
Spes praemij laboris eſt ſolatium.
Extende greſſus ſtrenuos, lumen retro
Numquam reflectens: ſpatia quae reſtant, modo
Superare diſce. Nil volenti eſt arduum.
Conare. Prima aggreſſio eſt acerrima.

ARISTVS

RVRSVM inuoco te Rex Superum, & hominum Parens.
Durum. at ferendum. pungit. vrgendum eſt magis.
Eheu premor. non opprimar. denſa hic ſeges
Eſt veprium. calcentur. e plantis cruor,
E fronte ſudor liquitur. ſudor, cruor,
Labor, pericla, pulchri honoris praemium.
Quamquam ille paruo conſtitit. nec caro emi
Aeterna poſſunt. Morte venale eſt decus,
Quo petitur Immortalitas. Clauſum eſt iter,
Omniſq. ſeptus aditus. emergam. via
Vi fiet. Inuia nulla Virtuti eſt via.
Hic eſt vorago abrupta, & in praeceps patens,
Vix tranſitum dat. Quam prope a caſu abfui?
Sed quanta moles reſtat? enitar diu
Multumque, quod feciſſe ſi detur ſemel,
Semper iuuabit. Iamque deficiunt pedes,
Vigorque. Vincit animus. At tandem tamen

Defeſſus hoc in rupis exeſae cauo,
Medius labores inter exhauſtos modo,
Et hauriendos proxime, paruam moram
Traham ſedendo. Vt dulcis eſt feſſo quies.

CHORVS.

DVLCIS malarum ſolicitudinum,
O Somne, portus, perfugium, & quies,
Qui feſſa viuentum labore
Membra leuas, animosq; curis.
O fluctuantis murmura pectoris
Aurae benignae munere qui premis,
Et ſenſibus vinclo ligatis,
Corda hominum reſoluta laxas.
Frater quietae Mortis, & Otij
Felix miniſter, quem fugiunt truces
Morbi medentem, aequantem egenos
Diuitibus ſequitur Voluptas.
Huc lenis, huc te fer tacito pede
Obliuioſis abdite nubibus,
Et irriga blande natantes
Senſim oculos, operique nocte.
Mox excitatus deinde negotia
Ad ipſa ſurget ſtrenuus, & viam
Inſiſtet inceptam, a labore
Artubus atque animis refectis.

ACTVS TERTIVS

ERGASTVS

EXCVSSA tandem fratris importunitas.
Equidem verebar ſaepe, ne oppreſſum diu
Non mitteret, ni traheret in magnum malum.
Non ſecus hirudo corpori admoto tenax
Haeret, premitque bibula, nec prenſam ſemel,
Cruore ni ſit ebria, amittit cutem.
Et ille forſan prodigus vitae ſuae,
Nubes honoris, & poëtarum ſequens
Nugas canoras, ſe per anguſtam viam,
Per ſenticeta & ſaxa coniecit: miſer.
Guſtanda in ipſo flore tibi dulcis fuit
Vitae voluptas, frater. At tu deſipis,
Malumque curis addis, & curas malo.
O miſera ſors mortalium. O hominum genus

Rerum miſerrimum, & miſeriarum vltimum.
Quae pars dolore vacua? quae cura caret
Pars vitae acerba? Naſcimur: ab ipſis ſtatim
Vitam auſpicamur lacrimis & fletibus.
Et eſt nouum mirumve, ſi qualis fuit
Ingreſſus, idem reliquus eſt aeui tenor?
Lugemus, hoc Natura nos primum docet.
Quae culpa porro noſtra? quia nati ſumus.
Mox vincla nexu corpus aſtringunt, recens,
Tenerum, caducum, aliena ni firmet manus.
Tandem labore plurimo emergit ſuae
Ad ſenſa mentis voce propemodum, puer,
Caſus per omnes. Hinc magiſtro tradimur
Triſti, ſeuero, duro, inexorabili,
Chirona qualem eſt Aeaci nactus nepos.
Neque hoc ſat eſt: aſſiduus accedit comes
Cuſtoſque, ſaeuus, toruus, attentus, ſagax,
Et ſupicax, & perſpicax. Argum putes,
Centena cui ſtent lumina, & oculeum caput.
Quid iurgia hic minaſque? quid virgas truces,
Crudelius, quam Tantalo ſaxum improbum,
Dicam imminentes? Omnia expertus loquor.
Eſt temporis nunc tantulum, vt poſſim meo
Saltem arbitratu viuere abiecto metu.
Dum ſe Iuuenta pandit, & pingit roſas.
Aeſtas ſequetur proxime, & (ventus niſi
Afflarit ante meſſem, & interfecerit)
Erit opibus danda opera, nec deerunt graues
Aeſtus laborum, &, laeta quae numquam fuit,
Nox ambitus, & aula curarum ferax.

Nam

Nam quod Senectae bruma, quod capitis niues
Frigus ferunt, geluque? quam noctes nigras,
Quam nube tectos, Sole viduatos dies?
Natura ſequitur dira, morborum feris
Succincta monſtris, fertq. terrificum manu
Vltrix flagellum, & aeris alieni admonet.
Quod ni receptet illico, fenus petit.
Hinc luminum, illinc aurium, ſenſum exigit,
Illinc vtrumque: & ſaepe quos dudum dedit,
Artus repoſcit, donec vmbram mortui,
Viuum cadauer, reddat exanguem ſenem.
Haec illa lux mortalium: hic vitae dies
Inter ſonora nubila, & auaros Notos.
Haec me viciſsim ſorte partita premunt.
Sed nimbus hinc detonuit: hinc alter legit
Ventos, vt imbre laeta proſternat ſata.
Neque hoc ſereno, & tempore oblato fruar?
Fruar. decet, libetque: nec quiſquam vetat.

TROPHIMVS. ERGASTVS

E*RGASTE, quo te, Ergaſte? ERG. Quis re-*
uocat? (malum)
Magiſter eſt. Incommodum ſemper virum.
Mirabar hoc ſi abiret, vt poſſem mihi
Vacare. Salue. TRO. Det Deus mentem bonam.
ERG. Non alia diceretur amenti ſalus.
TRO. Quid ſolus hic? ERG. Nunc eſſe, nũc ſolus mihi
Videbor, ante non fui. TRO. Quis tecum erat?
ERG. Ego ipſe. TRO. Fac vir iſte ſit ſaltem bonus.
ERG. Talem

ERG. Talem eſſe ſemper credidi. TRO. Raram fidem.
An te tibi eſſe cognitum, adoleſcens, putas?
Nihil eſt magis difficile. ERG. Tu Sapientia,
Etiam ne verba funditas? TRO. Nimium es ferus
Ergaſte factus. ERG. Eſſe me talem decet.
TRO. Non tamen oportet. ERG. Iſta iam pridem puer
Satis tuli, timuique. TRO. Nunc vero es ſenex.
ERG. Quicquid ſit, aetas poſtulat mores nouos.
TRO. Aetate in omni eſt moribus ſanctis locus.
ERG. Numquam ne vocum fuerit iſtarum modus?
TRO. Cum feceris quod admonent. ERG. Toties piget
Eadem moneri. TRO. Id accidit culpa tua:
Pare monenti. ERG. Odioſus es tandem mihi.
Quid paream? TRO: Feciſſe quod ſemper bene eſt.
ERG. Sat hactenus, ſat parui. TRO. Non eſt ſatis,
Ni fiat etiam ſemper. ERG. At ſatias capit
Rerum omnium. TRO. Quas animus inuitus facit:
Non quas volens, libensq. ERG. Quid mecum tibi?
Te, dum magiſtrum noſtra prima aetas tulit,
Tuli magiſtrum. De magiſterio tuo
Haec iam migrauit. TRO. Diſciplinam qui fugit,
Odit ſciendi gloriam. ERG. Iſtam nil moror
Emptam labore gloriam. Dulcis mihi
Vna eſt Voluptas. TRO. Heu Voluptatem fuge
Matrem dolorum. Vis Voluptatem meram?
Stude labori. ERG. Aduerſus eſt illi labor.
TRO. Deo iubente aduerſa de aduerſis fluunt.
Hinc & doloris fons voluptas blandior,
Laborq. honeſtus eſt voluptatis caput.
Sic herba ab acri dulcis interdum liquor,

Spiniſq. ab aſpris mollis exiſtit roſa.
ERG. Haec vera ſint, ab igne prodibunt niues,
Et flamma ab vndis: terra ſe in caelum feret,
Caelumque terra ſidet inferius pigra.
E Sole tenebrae, e nocte naſcetur dies.
Omniaq. erunt ab omnibus. TRO. Iam non ego
Has te docebam, peior has argutias,
Peior magiſter docuit. ERG. Haud magno fuit
Opus magiſtro. Senſus huc duxit manu.
TRO. Dux brutus eſt, & monſtrat obliquam viam:
Senſus futuri incautus, ad praeſens modo
Se accommodat. ERG. Futurum in incerto latet,
Praeſens tenetur: illud in Superum manu eſt.
TRO. Immo in manu cuiuſque. Nam quales dies
Quicumque ducit hoſce, quos viuens agit,
Talia ſequentur ſaecla, queis nullum dabunt
Saecla vlla finem. Haec vita momentum eſt breue,
Sed pendet inde aeternitas. Tantum venit
E tantulo. ERG. Nihil audio: fruſtra mones.
Futura quae ſunt, tu gubernabis Deus:
Ego capior praeſentibus. Tu, iſtas minas,
Stimulosq. germano admoue. TRO. Nec me quidē,
Quantum eſt peractum, poenitet: quamquā indiget
Freno ipſe, tu calcaribus. ERG. Cupio meo
Animo obſequi. Is Virtutis affectet viam,
Auceps honoris, recta cui pectus ſapit.
Inglorius ego, & ſtultus, hanc facilem ſequar.
TRO. Eſt facilis aditus, exitus ad Orcum trahit.
ERG. Sedes ad Orci pallidas non eſt iter
Quale hoc, virens: [illegible] Non flores vides,

[illegible] menq.

Gramenq. pictum? TRO. Gramine ſub alto latet
Letalis anguis. decidunt flores cito
Arentque molles. gratus hic oculis color
Imponit vltro, & ſponte captatum venit
Mendace vultu. talis aduerſo nitet
Imbrifera nubes Sole, nec ſolido polum
Fulgore pingit. Quicquid hic rerum vides,
Vana eſt imago, fumus, vmbra, & ſomnium.
ERG. Experiar hodie, haec ſtat mihi ſententia.
TRO. Tamen. ERG. Tamen moleſtus es nimiũ mihi.
Non hac mouebor mente, ſi caelum ruat.
Tu ſequere, vel diſcede. TRO. Diſcedo, at breui
Meam vocabis precibus implorans opem.
Vt peruicax mens hominis, & prona ad malum.
Ego hinc videbo, coepta quo tandem cadant.

CHORVS INTERIOR.

HVC ades, quiſquis per amoena tendis,
Grata per Nymphis nemora, & receſſus,
Hic vbi ſedem ſibi fixit olim
Alma Voluptas.
Ver vbi aeternum, viridiq. campos
Gramine apricos, varijsq. laetum
Floribus gramen, proprioq. flores
Spargit odore.
Cernis, vt ſeſe tibi feſta ſilua
Compſit, & qualem, cupiens teneri,
Hoſpes, vt dulci recreeris aura,
Explicat vmbram?

Senſit aduentum ſimul ipſa tellus,
Senſit & caelum: ſimul ipſa eunti
Subijcit flores, nitidoque ridet
Lumine caelum.

TROPHIMVS. ERGASTVS PANVRGVS

CANTV hoſpitem Sirenes ad caſum vocant.
ERG. O vox amica, o carmen, o liquidũ melos.
Vt vos libenter audio? vt blandus mouet
Imas medullas ſenſus, & venas fluit
Riguus per omnes: ſcilicet regnum hic habet
Aurea Voluptas. Mente iam tota diu
Sedes cupitae, denique inuentae modo,
Saluete. Veſter hoſpes accedo nouus:
O ſi & futurus incola. Vt noſter iuuat
Aduentus, vt me veſter aſpectus iuuat,
Cantusq. dulcis? Cuncta nunc animo meo
Deleta ſunto. Gloria & Virtus vale:
Tibi me Voluptas domina in aeternum dico.
TRO. Et ſtulta ſunt promiſſa, nec votum tenet.
ERG. O ſi videndum ſe aliquis hic nobis daret.
En cum corona iuuenis & cithara venit.
Aetas mihi ipſa, & habitus, & cultus placet.
PAN. Salue Mundi opifex, & cuſtos, dia Voluptas,
Quae pulchrum vario ſemine corpus alis.
Salue o cũnctarum genitrix dulciſſima rerum,
Vnde ioci, & cantus, lenis & aptus amor.
Quã pecudesq. feraeq. omnes, quã põtus, et aether,
Quam

Quam celebrat tellus mille reuincta modis.
Te propter viret omne nemus, te propter eamdem,
Fundit odoratas arbor adulta comas.
Salue iterum atque iterũ, comes o dilecta iuuentae,
Quae iuga, quae fluuios, quae loca leta colis.

TRO. Sic captat auceps fiſtula alliciens auem.

ERG. O te beatum, laeta quem ſedes tenet
Semper vagantem libere, & ſemper nouo
Modulata chordis verba flectentem ſono.
Certum eſt adire: & certus, vt ſpero, comes
Adiungar illi, vota nec ſpernet mea.

TRO. Alludit hamo piſcis, vt laqueum voret.

ERG. O quiſquis es, frondoſa quem circum iuga,
Paene alterum Orphea, flumina, & pecudes ferae
Audire certant, dulce dicentem melos:
Aeterna ſic iuuenta contingat tibi,
Si iuſta poſco, ſcire nec cuiquam nefas,
Dic quas in oras venerim. Hic laetas habet
Sedes Voluptas? Pectore huc toto feror.

PAN. Veniſti amice Ergaſte, veniſti diu
Optate nobis: fallit an viſus meos
Ingens cupido? Nomen eſt nobis tuum,
Ne metue, notum. Frontis inſignes notas
Veſtisq. noui. Saepe praedixit parens
Nobis Voluptas ipſa, dum numerat dies,
Teq. impotenter expetit. Quanto putas
Pectus replebis gaudio? ERG. Vt felix iter,
Paruaeq. fructus conſtitit magnus morae.

PAN. Vides vireta haec? illa diſponi tibi
Mira arte voluit. Cernis herbarum toros

Viridanti in vmbra, texta quam myrtus facit.
Affletur & quam mollis ex illis odor?
Hos, vt ſederes, dextera inſtruxit ſua.
Audin ſuſurros fluminum, & blandas aues
Varia remotum voce mulcentes nemus?
Sic erudiuit ipſa, quo gratus ſopor
Summa quiete obreperet pulchris genis.
Iam quot choreas, ſuaue cantantum choros
Quot comparauit? vocibus quales ſonos,
Carmenq. quale attemperat? Veteri mero,
Lectaq. toto ab orbe regifica dape
Menſam refertam, mille famulantum manus
Vni vt miniſtrent, ſedula inſterni iubet.
Super omnia haec, quod maximum in magnis reor,
Ad ipſa facta vultus accedet bonus.
Quid plura? me nunc miſit aduorſum tibi,
Miſſura plures obuiam, aduentum ſimul
Certum eſſe norit. Propter hanc ripam ſede,
Longaq. corpus pone defeſſum via.
Interea ad illam laetus ibo nuntius,
Laturus ingens praemium. ERG. Duc nos cito,
Duc nos ad illam. Quodque punctum temporis
Spatio videtur annuo longinquius.
TRO. En capta miſera praeda ad ignem ducitur.
PAN. Morem libenter geſſero: & quando hoc ſedet,
Iter docebo breuius hac prona via.
ERG. I prae, ſequar, ſigniſq. in impreſſis tuis
Ponam pedum veſtigia haud lento gradu.
PAN. At tu interim quas Daedala effinxit manus,
Vt ſe patentes vndique oſtentent opes,

Per

Per cuncta paſſim lumina intendens, lege.
Natura nuſquam melius indulſit ſibi.
ERG. *O blanda nemora, o limpidi ſemper lacus,*
O grata Tempe, o montium viridiſſimi
Mihi apparatus, nulla quos ſpoliet dies.
O ſcena ſiluis imminens, ſemper virens
Semper coruſcis. O canentes, arborum,
Lenique motae flaminis pulſu, comae.
Oculos videndo defatigaui, & tamen
Adhuc videre mens inexpletum cupit.
Cerno hinc cauata ſaxa, & horrentes ſpecus.
Vere haec beata, & ſola Nympharum loca.
TRO. *Illa eſt barathri ianua. O clemens Pater,*
Stultae Iuuentae parce, ne noceant doli.
ERG. *Audire videor dulce ridentes ſimul.*
Quid? ſe videri forſan a nobis cauent?
ECHO. *Auent.* ERG. *An vt cōceſſerim propius, libet?*
ECH. *Libet.* ER. *Quid ergo huc aliqua nō ueſtrū uenit?*
ECH. *It.* ERG. *Cur moraris hoſpitem errantem? Veni.*
ECHO. *Veni.* ERG. *At prior nos edoce incertā viam.*
ECHO. *Iam.* ERG. *Gradiar iſtuc?* ECHO. *Huc.* ERG.
Aliquis an tecum adeſt?
ECH. *Adeſt.* ER. *Puellarū cohors?* ECH. *Harū cohors*
ER. *Fore me libēter reris?* ECH. *Eris.* ER. *Eheu miſer*
Deus cadentem ſubleua. Heu perij miſer.
Miſerere. TRO. *Quid agis? abſtine infelix manum*
Scelerate. PAN. *Noſtra eſt praeda.* TRO. *Iam iuuenem eſt ſatis*
Tentaſſe fraude. Saeua vis abſit procul.
PA. *Haec nēpe vis.* TRO. *I perfide in Stygias domos.*

Reliquit animus: membra contraxit rigor:
Vnamq. gelidus ſanguis in ſedem coit.
Attolle corpus: tolle iam vultus mihi.
Ergaſte: quid adhuc metuis? hic adſum tuus
Magiſter ipſo in tempore. Abſcedat timor.
Ergaſte. ERG. *Quis me ſuſcitat? quis fert opem?*
TRO. *Iam me aſpice.* ER. *Heu magiſter, ingratum ſine,*
Viſuq. caeli & lucis indignum frui,
Sine me perire: monita qui temnens tua,
Me perdidi. Abſque te fuiſſem, non forem.
Inuenta mors eſt, dum Voluptas quaeritur.
Mitte immerentem, mitte commeritum mori.
TRO. *Nihil verere. Propter hoc dignum reor*
Vita eſſe, quod te iudicas dignum nece.
Spes magna veniae, & grande ſolamen mali,
Culpam fateri. Eſt innocenti proximus,
Quem poenitet peccaſſe. Nec mortem Deus
Cupit nocentum. Sceleris admiſſi dolor
Vitam impetrat. Tum portus erranti optimus
Eſt conſili mutatio. Poenae eſt ſatis,
Si te facinoris ante commiſſi pudet.
ERG. *Me cepit aetas: hoſtis acceſſit malus,*
Fallaxq. fandi fictor: hic mentem abſtulit.
TRO. *Haec ipſa vidi, & nota iam pridem mihi*
Pellacis ars, & pectus inſtructum dolis.
ERG. *Sed, te volente, magne Regnator poli,*
Qui te potentem maxime, clementia
Et ſontibus ſalute donanda, probas,
Vitium obtegam virtute, malefactum bono.
Nunc parce Genitor, parce. Peccaui miſer.

TRO. Er-

TRO. Ergaſte, ſi mutanda mens olim tua
In melius, vnam ob criminis culpam, fuit:
Tanti fuit peccaſſe. Placatur Deus
Precibus nocentum. Facta condemnas tua?
Condonat ille. Agnoſcis? ignoſcit malo.
ERG. Tu, qui mihi ſpem veniae & indulgentiae
Facis benigne, & rebus afflictum leuas,
Impone quaeuis onera: perpetiar, feram.
Nec me grauabit vllus in vita labor.
Ego, te iubente, vel per Arctoas niues,
Per orbis hieme & nocte damnatas plagas,
Vel per peruſtas igne, & aeſtu feruido
Nimium propinquae ſemper aetheriae facis,
Intrepidus ibo; & offeram morti caput.
Quocumque placeat, nulla parendi eſt mora.
TRO. Sic pollicetis. ERG. Ipſa res faciet fidem.
TRO. Non eſt neceſſe, vt ſicca glacialis poli
Tranetur Vrſa, aut Solis ardeſcens via.
Hoc per iugum Virtutis audacem gradum
Molire promptus: nec refer retro pedem,
Ni fueris ante victor, & voti reus.
Frater praeiuit, ſequere: tunc duplex erit
Vtrique cauſa vtriuſque laetandi bono.
Quid fluctuare? & lumina in montem iacis?
Sunt multa, quae ſi grauia cum coeptes, tibi
Primo videntur, leuia ſucceſſus facit.
ERG. Iubes ne? Fiat. TRO. Inuoca vt debes Deum.
ERG. Ego vero, Olympi Rector, excelſum ſupra
Qui verticem altus ponis adſcenſum tuum,
Proſtratus ad te ſupplices tendo manus.

Fac,

Fac, ſi prioris culpae es oblitus meae,
Vt ſpero, & opto, ad montis enitar iugum.
Difficile opus, magnumque. Sed fretus tuo,
Pater, benigno numine, effectum dabo.
TRO. *Audiuit ille vota, iam ſurge, & viam*
Inſiſte prorſus, nec malis cede obuijs:
Contra ſed ito audentior. Facti cupis
Dimidium habere protinus? recte incipe.
Quod ſiqua rupes, ſiquis impenetrabilis
Sinus, aut crepido montis, aut ramis frequens
Negarit aditum ſilua: ne fleto, vt puer,
Sed pertinaciter aude. In hoc ſunt omnia.
Stultus dolorem vulgat, & flendo integrat.
Sapiens premit ſilentio, ac vulnus tegit.
ERG. *Me non, vt obſtent Pontici fauces freti,*
Et gemina pandens hinc & hinc vaſtas manus
Symplegas arctet maria concurſu nouo;
Iterumq. fluctus ſaxaq. in caelum exprimat;
Non, dubia Syrtis Barbaro exultans ſalo,
Terrebit vmquam. Valeat hortandi labor.
Addis citato calcar, incenſo facem.
Ego deſeram vitam ante, quam iuſſam viam.
TRO. *Iam perge, perduc vota ad optatum exitum.*
Eſt auctor operis, & erit adiutor Deus.

ERGASTVS. ARISTVS.

QVI ſtultus hic eſt terror, & caecus timor?
Etiam ne vatum fabulae occurſant mihi?
Mihi non Chimaerae ſpiritus flammam vomens;
Lernaeve

Lernaeve peſtis caede pubeſcens ſua,
Non nemoris ille excubitor aurati draco,
Non aeripes & flammeum Aeetae pecus,
Non quicquid vmquam vana finxit Graecia,
Quot ſe Orcus in monſtra induit, & atras feras,
Cogent retrorſum ferre conſtantem gradum:
Cunctis ſubactis verticem ad ſummum ferar.
Vt cuncta ſunt facilia, ni inuitus facis.
Quis hic ſopore membra deuinctus iacet,
Alta & quiete merſus? An frater meus?
Is eſt. an erro? an excito? At dulcem graue eſt
Turbare ſomnum. Viſus audire eſt: ſua
Sponte ipſe ſeſe colligit, & ad ſe redit.
ARIS. Ergaſte. ERG. Ariſte. ARIS. Vera ne haec
facies tua?
Verus mihi tu nuntius? an etiam, vt prius,
Per leuia mentem viſa deludit ſopor?
ERG. Ariſte vigilas. Vera mi frater vides.
Ergaſtus adſum. ARIS. O nuntium optatum mihi.
Quod ſomniabam cernere videnti datur.
Audit preces benignus e caelo Deus.
At feſſus es: quieſcere hic mecum potes.
Hinc, vt laborem parua releuarit quies,
Pergemus vna: longa non reſtat via.
ERG. Audis ne cantum? An fallit incertus ſonus.

CHORVS.

CHORVS

FELICES, quibus arduae
    Virtutis teritur iam pedibus via.
Per vepres, per & aſpera,
    Et per lubrica ſaxeta, crepidinem.
Per montis procul auij
    Vix ipſis capreis exuperabilem.
O quos Laudis amor tenet,
    Queis vrget ſtimulis Gloria pectora,
Et calcaribus incitat.
    Virtutis rigidum ſcandere verticem:
Ne frangant animos iugi
    Non molles aditus, ſemper & obuia
Quae tardant celeres gradus,
    Quae praerupta viarum, impediunt iter.
Duris cedere neſcia,
    Inſtanteſq. metus vincere pertinax,
Atque inuicta laboribus,
    Mens eſt, cui decoris fulſit honos boni.
Laeti opponite fortia,
    Qui ſeſe obijciunt, pectora, caſibus.
Obſtent omnia. Rumpite.
    Quod pulchrum eſt, petitur difficili via.

ACTVS

ACTVS QVARTVS

ARISTVS. ERGASTVS

IAM SVRGE frater, ſurge: quid lentus ſedes,
Stupeſque, cantu vt ebrius?
ERG. Liquidum bibi,
Et dulce carmen: ſenſu vt abſtracta e ſuo
Mens ierit illuc, vnde tam laetum mihi
Acroama fluxit: nec reuertiſſet diu,
Niſi reuocaſſes. Ipſa nondum etiam meas
Vox praeter aures vecta, miranti ſedet
Infixa penitus animo. Abite, abſiſtite,
Valete, Muſae turpium morum illices,
Eſcae malorum. Tuq. luctificum malum
Fallax Poëſis, blanda pernicies virum.
Quae veſtra ſint Circaea tamquam pharmaca,
Pandam nouus Mercurius, expertus tamen:
Ne quiſpiam fallatur ignarus doli.

Vos audiendo, eſt aliqua, nec vehemens quidem
Senſu voluptas: ſed voluptatem grauis
Maeror dolorq. ſequitur; haec praeteruolat:
Defixus animo inhaeret aeternum dolor.
Quam paene, per vos, vaſta tenebrarum loca,
Et quo trahebar Tartari vidi ſpecus?
Quam paene in Orci limen intulimus pedem?
Quam paene non extulimus? En horret, miſer,
Reuolutus horret animus in ſaeuos metus.
ARIS. Quis horror eſt Ergaſte, quos narras metus?
ERG. Vix tantum ab ipſa Morte, & atris abfui
Antris, Ariſte. ARI. Hoc illud eſt, quod te modo,
Cum feſſa placidus membra leniret ſopor,
Cernere videbar, fauce correptum fera
Diri draconis: miſſa ni caelo manus
Seruaſſet haec in tuta tranſlatum loca.
ERG. Ita eſt. Opem mihi attulit ab alto Deus:
Ipſe eſt mei miſertus. ARIS. At nos, hoc duce
Et auſpice, hanc ſequamur inceptam viam.
En iam minusq. accliuis, & lenis magis
Se pandit ipſa. ERG. Et longa ſat viſa eſt quies.
ARIS. Eamus ambo: & triſte ſi quid ſe offeret,
Tias vterque transferens fratri vices
Iuuabit alterũ. ER. Heu cado. AR. Ah mediũ tene
Ergaſte, quo te conijcis? quid agas vide.
ERG. Nunc quoque ruentem ſuſtine. ARIS. At nimium es celer
Praecepsq. lente, frater, appropera gradum.
Ipſa ſibi feſtinatio nectit moras.
Eſt ambulandum, non volandum. Sat cito

Si ſat

Si ſat bene. ERG. En iam prendimus ſacrum iugum
Poſt tot pericla, & caſuum diſcrimina.
Loca haec licebit iam ſalutare. ARIS. Et Dei
Celebrare laudes. ERG. Montis alti culmina
Vicina caelo, floreum, & caſtum nemus,
Saluete. ARIS. Frater, nos ne perduxit Deus
Tot per ſalebras, tot per anfractus viae,
Ad haec amoena, & ſumma terrarum loca?
Nos immerentes? Magne Caeleſtum Pater
Hominumq. Rex, o dulcis, o patiens amor,
Quae cauſa, quae te cauſa, tanto perpulit
Vt me beares munere, & fratrem mihi,
Fratriq. me coniungeres? ambos, tua,
Qua cuncta torques, mira qua patras, manu,
Dicam ne ſorde an faece ſecretos, humi?
Huc tranſtuliſti, ad proximam caelo domum.
Munus, fatemur, munus, hoc totum tuum eſt.
Scintilla nos huc ignis abripuit tui,
Demiſſa caelo. Vterque grates dicimus,
Et firmitatem oramus, & conſtantiam.
ERG. Germane, ceu ſint nubila e viſu mihi
Deterſa, quaedam vallis infra cernitur
Anguſta ſane, & vuida. ARI. Eſt terrae, vt vides,
Orbis, puſillus ille, & in media latet
Caligine. Viden mole ſub quanta iacet
Moleſtiarum, quicquid in terra iacet?
Quantae tenebrae, quantus eſt error, putas,
Mortalium? quam leuibus a rebus gerunt
Pugnas miſelli, more taurorum, truces,
Pro paſcuis, potuque nec puri lacus,

In vulnera, atque in funera ruentum? Nefas.
Heu digna caelo pectora, heu Superum genus,
Terrae inquilini, & hoſpites. Quin iam caput
Mentemq. in altum tollitis, vt abiectam humum,
Et quae creatur inde materiem mali,
Ratio repellat? Valeat, ah, Senſus, precor,
Corruptus, & corruptor. An caeno iuuat
Turpare caelum? An ſpiritum, terrae iuuat
Clauo ſubactum affigere? En ſedes vocat,
Et patria. Hic eſt cura figenda, hic modum:
Hic omnibus metam eſſe votorum, decet.
Eſt inquies mens hominis, immenſi capax:
Hanc ſedat vnus, vnus hanc explet Deus.
ERG. *Sed quid videtur ipſe iam vertex, diu*
Formidoloſus? aequa planicies ſedet,
Campiq. ſe longe explicant. Nam quae hic patet
Amoenitas ac ſplendor? Haud illic magis,
Stellante caelo accenſa cum ducit faces
Phoebe minores, ſiderum effulget chorus:
Vt fulgor hic ſcintillat, & varie micat,
Florum, hic & illic. Tale teſſellatum opus
Nec iactet vmquam culta regnantum domus,
Nec reddat vmquam docta pingentum manus,
Auro, ſmaragdo, purpura, argento, croco.
Inſpice quis ordo? Vt cuncta diuiſa in ſuas
Sunt areas, puluinulos, ſulcos, ſinus?
Quis hic nitor decorque? Quae florum agmina,
Quae copiae? Hic conſiſte, tum cerne hunc mihi
Vt gemma profert, trudit vt geminum calyx,
Vt calathus alterum? Ille vagina e ſua,
E cuſpide

E cuſpide hic ſeſe exerit. Qualis meas
Vndique laceſſit ebrias nares odor,
Prae quo Sabaeum germen, & Cilicum ſeges,
Arabumq. meſſis, nautea & putor grauis?
His capior, immo his paſcor: hic viuam libens:
Nec ſit moleſtum inemori hoc ſpectaculo.
Ariſte quo nunc raperis, obtutu & ſiles
Defixus vno? AR. Pulchra ſunt, pulchra haec tibi
Germane, ſunt & ſuauia: at quantum putas
Et pulcher eſt, & ſuauis horum auctor Deus?
Opera magiſtrum viſa nec viſum indicant.

ERGASTVS. HONOR. ARISTVS

QVIS ſtrepitus ille? Nam quis huc vertit gradũ?
Quis ille comitum numerus obſedit virum?
Regalis ipſa in fronte maieſtas ſedet.
Quem ſe ore fert? & qualis inceſſu venit?
Ardet ſalutare animus, at vox deficit.
HON. Par iuuenum amicum cuncta moderanti Deo,
Qui veſtra ſolus rexit huc veſtigia,
Veniſtis huc feliciter: felix vbi
Deo propinquam regiam Virtus tenet.
Ego ipſe vos excipio, & amplector libens.
ARIS. At quiſquis es, ſeu terra te talem tulit,
Siue ales es caeleſtis, & iuuenem nouo
Imitatus ore, noſtrum in occurſum venis,
Non abſque mente & numine aeterni Patris:
Vterque, cum beatus hanc ſedem colas
Virtutis almae, & pulchra ſit tecum cohors,

Iam te veremur ſupplices. Tu nos tuam,
Si iuſta petimus, accipe in certam fidem.
HON. Ne petite meritis ante quod veſtris datum eſt,
Et ipſa Virtus praecipit. Non deſum Honor,
Ego ille, eodem pulchra quem partu tulit
Labori amicum cum pudica Gloria,
Virtus, ab ipſis orbis incunabulis,
Sed nec queam, nec deeſſe ſi poſſim, velim,
His, quos amicus ipſe commendat Labor,
Et qui ſacrae parentis affectu calent.
Laboris & Virtutis eſt merces honos,
Virtus honores & voluptatem parit
Doctis viris, & fortibus: quorum decus
Celebresq. laudes, tempus vt nullum obruat
Obliuione ac nocte, ſed claro die
Viſantur vſque, & conſecrentur poſteris:
Hae, quas videtis ſponte ſeſe artes mihi
Iunxiſſe ſocias libero dignas viro,
Triſti e ſilentio eximunt: ſeu marmore
Atque aere viuas ducere effigies velint,
Seu liquidis coloribus: nec abeſt vetus
Hiſtoria, nec Memoria ſaeclorum tenax:
Nec Suada dulcis, & venuſta Oratio:
Nec quae modisq. & carmine, in caelum ferunt,
Nomina potentum, & facta ſapientum virum,
Et Muſica & Poëſis. ERG. Hei metuo dolos
Ariſte: nomen hoc Voluptatis mihi,
Poëſeosq. & Muſicae, haud quaquam placet.
Sat eſt ſemel peccaſſe: ſat frater ſemel
Modo non periſſe. Iam ſuo doctus malo

Piſcator ictus ſapiet. HON. At iuuenis metum
Pone, & moueri abſiſte. Non vlli hic doli,
Non vllus hic opertus inſidijs locus.
Hic caſta cuncta, nempe quae Superis placent.
ERG. Numquam timere nocuit. HO. In rebus malis.
ERG. Qui falſus eſt, & ipſa permetuit bona.
Semelq. captus ſaepe captari timet.
HO. Quid vana terrent? ER. Qui pauet vanos metus,
Veros cauet. Plerumque tempeſtas fera
Caelo ſereno oppreſſit ac merſit ratem.
HO. Nil audeat qui metuit. ERG. At ne erret quidem.
Timor eſt pater Prudentiae. HO. Eſt idem comes
Inertiae & Languoris. & par eſt malum
Nihil timere, & omnia. In medio eſt ſita
Diuina Virtus: arcta cui placuit via,
Eademq. recta: laeua ne errantem auferat,
Nec dextra rurſum, limite vt recto nihil
Excedat, aut recedat. Vtroque in loco
Tu nimius es, iuſtoq. nunc maior metus
Eſt iſte, fuerit ille cum iuſto minor.
Iniquus es, ſi regna Virtutis times.
Iter huc negata paene tentaſti via,
Erroris error vt eſſet alterius gradus?
Confide iuuenis, comprime affectum leuem.
ERG. Tandem iſta cunctum verba dempſerunt metũ.
Et me doceri decuit, & dedo manus.
Vbi ipſa Virtus? HON. In penetrali ſedet
Intenta rebus, digna dum mortalibus
Praemia laborum dat ſorori Gloriae
Tribuenda, & ipſis addita eſt dudum comes,

Quae cuncta lance penſat, & libra pari,
Iuſtitia: ſed mox aderit. ARIS. Hic quiddam cupit
Scire animus; at retardat inuitum pudor.
HON. Rubens pudoris vultus eſt ſignum tui,
Et te tacente loquitur. Haud metuas licet,
Eloquere. AR. Tu verba accipe in partem bonam,
Nec curioſum dixeris. HON. Dic quod lubet,
Libens petenti quodque reſponſum dabo.
ARIS. Semper ne Virtus dat labori praemia?
HON. Quando eſt honeſtus, ſemper. Interdum tamen
Vt ſit labor praeclarus, & notus magis
Pleno theatro, & merita magnorum virum
Spectata creſcant, tempus in paruum volens
Differt, nec aufert. ARI. Omnium expertos habet
Semper labores? HON. Omnium. Et in vnum refert
Volumen omnes, laude quos dignos probat,
Vt par labori praemium reſpondeat,
Amplaeq. merces gloriae: ſeu ſint ſenes,
Iuuenes, viri, puerive. ARI. Perſcriptum ne habet
Etiam laborem ac praemia adoleſcentium,
Qui corda thyrſo Laudis ac Sapientiae
Percuſſi, amare decora certatim ſtudent,
Et litterarum ſtudia? HON. Nec ſane modo
Vulgari: habet praeſcripta & horum nomina,
Et quiſque qua ſit laurea, quo munere,
Prae ceteris donandus. ERG. Et quando dari
Iſtaec iubebit munera? HON. Hoc prudens agit:
Hoc ſcilicet deliberat: & vna potens
Diſceptat hoc Iuſtitia: tum Famam vagam,
Quae fert per orbem facta veſtrorum ducum,

Qui

Qui gloriam vicere priſci temporis,
Huc euocari voluit, vt clara citet
Voce meliorum nomina: & libros parat,
Minioque, & auro puro & argento illitos,
Quos muneretur ſplendide, in clariſſimo
Praeſtantium virtute, & illuſtri nota,
Ac dignitate principum, coetu virum.
ERG. Sapienter iſta, & digna quae repetat frequens.
Paulum ſepultae inertiae diſtat diu
Celata virtus. HON. Fallere, haud Virtus eget
Praecone, per ſe clara: ſed tamen in loco,
Vicina qualis arbor irriguis aquis,
Laudata creſcit. ER. Gaudeo. HO. En Virtus adeſt.
Hinc Gloria, hinc Iuſtitia, cinxerunt latus.
AR. Vbi nã? Procũbõ ad genua? HO. Ne faxis caue.
Veſtros honores negligit: ſe ipſa eſt ſatis
Contenta. ARIS. Quae paremus illi exordia?

VIRTVS. ARISTVS. HONOR
ERGASTVS.

NON metus, amici. Dexteram noſtram obſidem
Accipite fidei. Veſter aduentus mihi
Hoc gratior, quo durior vobis fuit.
Non facilis iſte, ſed fuit felix labor.
Videte qualis exitus fuerit viae.
Hic ſemper aura dulcis, hic aeui tenor
Sine nube ſemper: nulla vt exiſtat lues,
Vapor ſerenum nullus infuſcet diem:
Hic ſumma Pax, & nullus exterret metus,

Nec fluminum, nec fulminum: quamuis polo
Effuſa nigro ſaeua tempeſtas tonet,
Tegatq. terras imber, & nimbus mare.
Sublime mons ſe tollit, & pulchrum erigit
Supra procellas, & Notorum turbines,
Fulgente ſemper luce veſtitus, caput.
ARIS. Salue piorum caelitum antiquum genus,
Felix beatae Gloriae & Honoris parens.
O ſola, certae per necis diſcrimina
Peti labore digna, cui Mundus nihil
Par finxit vmquam: turpe quae quamquam ſcelus
Exoſa terrae, hunc arduum montem colis,
Tamen relicto tramite adſcenſum haud vetas.
Quas, non referre, aut agere, nos grates tibi,
Sed quas habere poſſumus? Non hoc queant
Quotcumque Sol proſpexit, ex quo ſubditas
Luſtrauit oras, vnus vt cunctos agat
Incenſus animos ardor. Hoc non virium
Mortalium eſſe nouimus. Te vnam modo
Permitte nobis colere. De te pendeat
Vterque: quamuis magna poſcamus, tamen
Et magna ſunt, donare quae magnos decet.
HON. Recipe volentes mater in noſtrum chorum.
Rogant, & ipſe nomine amborum rogo,
Iunctae rogantum fortius pugnant preces.
Et quod negatum eſt ſingulis, multi impetrant.
VIR. Amo petentes: iuſta quae petitis dabo.
Sed remigrandum eſt, vnde veniſtis modo,
Alijſque, quae ſit recta, monſtranda eſt via.
Hoc eſſe nihil honeſtius, maius nihil,

Nihil

Nihil eſſe propius muneri caeleſtium,
Summo eſſe nihil acceptius poſſit Patri.
Qui adiutum it hominem, proxime accedit Deum.
Vos ite tandem cara pars noſtri gregis,
Memoresq. ſemper quid nouus poſcat ſtatus,
Probate vita & moribus, lecta e manu
Vos eſſe, amicos ipſa quos Virtus habet.
Ego longiorem trahere non patiar moram.
ERG. *At cum feremus alta Virtutis iuga*
Penetraſſe greſſu, nulla ſi habeatur fides,
Qualia docebunt ſigna? VIR. *Correctum genus*
Viuendi, & illi mentis humanae indices,
Orationis veritas, oris pudor.
Addam alia, & ipſa magna: miniatos libros
Argento & auro fulgidos, quos Gloria,
Vt quiſque meritus fuerit, adoleſcentibus,
Romana quos gymnaſia formant litteris
Caeloq. dignis moribus, dono dabis:
Tu, ſi placet, Iuſtitia, depoſta hac libra
Ad tempus, his te iunge, & vt viſum modo eſt,
Effare, quo ſit quiſque dignus munere.
Honos, corollas dextera nectes tua
Semper virenti ex arbore, e noſtra domo,
Victoribusq. illuſtre velabis caput.
At tu Poëſis, quae virorum nomina
Orco eripis, vetasq. defunctos mori,
Praeſcribe verſus, quos nouis concentibus
Virgo canendi docta modulari queat.
Iamque aderit ipſa Fama: non aberit diu.
Iuſſi euocari: longe & audita tuba,

Qua ſuſcitatur Laudis excellens amor,
Pronuntiabit nomina adoleſcentium,
Qui inter ſodales, aemulos inter ſuos,
Scientiaeq. & ingenij primas ferunt.
Ea dum parantur, grata ſi vobis quies,
Huc ite iuuenes: noſtra vobis limina
Fas tangere. Hinc deſcenſus haud longa via
Facilique vos reſtituet in planum locum,
Vnde intuliſtis huc per adſcenſum gradus.

CHORVS

SVDATVM ſatis eſt: iam iuuenes modus,
Iam finis poſitus difficili viae:
Iam ceſſere metus, & labor inquies
Pulchri perpetuus comes.

Iam deſiderijs meta fidelibus;
Veſtris & ſtudijs ex animo obtigit
Felix curriculum. Nunc capite obuia
Pleno gaudia pectore.

Miles non aliter poſt graue proelium,
Saeui poſt obitus mille pericula,
Laetus victor ouat, cum poſito metu
Victis imperat hoſtibus.

Cautus non aliter poſt mare naufragum,
Ereptamq; feris nauem Aquilonibus,
E portu tumidi nauita iam minas
Diues proſpicit aequoris.

En Virtus geminos in penetralibus
Cum coetu comitum laetior excipit:
Aula hic perpetuis carminibus ſonat,
Veſtra non ſine gloria.

ACTVS QVINTVS

ERGASTVS. ARISTVS

O NOS BEATOS FRATER. O fauſtum, ac bonum,
Quo nullus vmquam pulchrior fulſit dies.
O laeta mentis gaudia. O donum ſupra
Humana felix vota. Virtutem ſacram,
Virtutis aedem ſplendidam, ſanctum nemus
Vulgo auium, videre fas nobis fuit?
Nos dexteram tetigimus, vnde hominum decus
Dependet omne? His pedibus auratum ſolum
Preſſimus, humumq. caelo & aſtris aemulam?
Nobis opes, profana quas numquam manus
Contrectat vlla, attingere, & noſtras velut
Seponere datum eſt? Caelitum veras opes,

Prae

Prae quibus, inopia haec omnis, hoc noſtro patet
Quaecumque in orbe copia, vt in vnum locum
Congeſta ſint, diſperſa quae tellus colit.
Etiam ne laetos cuncta per miracula
Viſus referre licuit, & gratum melos
Audire, & illos aethere infuſos ſuo
Haurire odoris ſpiritus? Aeui dies
Haec prima, primus carcer hic vitae mihi,
Aut meta potius. Summa votorum attigi.
ARIS. Sunt iſta. Sed quid marmora in vultus virum
Conuerſa? quidque imagines ſapientium
Et fortium, quos noſtra ſiue aetas tulit,
Seu priſca? Sed quid verba ni malis prius
Oracula appellare, quae fudit domi
Pleniſſima pietatis, & prudentiae,
Regina, quando os, quale & auguſtum & ſacrum
Templum, quod ipſe implere dignatur Deus,
Coepit aperire, & ſenſa caſti pectoris,
Ceu ſacra ſigna, ex abditis penetralibus
Proferre, cum mens noſtra paulatim ſui
Oblita, caelum ſcandere, & propius Deum
Viſa eſt videre, & figere obtutum ſacro
In lumine: vt futura vita omnis mihi
Sit mors acerba, & carceris duri loco
Hoc corpus ipſum, iuſſa ni faciam pia,
Affirmet & Spes certior, curſu hoc breui
Vitae peracto, me reuiſurum domos,
Vbi quiete detur aeterna frui.
Vos o beati, tanta queis ſemper ſedet
Animo voluptas: ſiue Reginam licet

Spectare, ſiue audire praeſentem loqui.
At nos, quibus res obtigit, qua non queat
Eſſe vlla melior, anima dum corpus reget,
Eſt quicquid aeui, quicquid hoc vitae ſuper,
Quod quale ſit, neſcimus (haud longum quidem
Illud futurum eſt) rebus in cunctis, bonum,
Qui cautus eſt magiſter officij, metum
Semper tueri oportet, vt conſtet ſalus.
Hoc eſſe quemque gratiorem conuenit,
Quo plus recepit munerum. Cui plus datum eſt,
Et plus ab illo exigitur. ERG. Haud aliter reor.
ARIS. O ſi magiſter noſtra gaudens gaudia
Hic eſſet, vt laboris hunc fructum ſui
Percipere tandem poſſet. Hic noſtrae modo,
Hic, frater, vnus deeſt voluptati locus.
ER. Ipſe euocem. At quaero vnde. Quā inſiſtā viam?
ARIS. Pietas vetat diſcedere. Hic ſtandum eſt tibi.
ERG. Eadem magiſtrum adeſſe quaeſitum iubet.
O implicatum tempus. O animos, duo
Quos diſtrahunt conſilia. Pietatem fugat
Aduerſa pietas. Iuſſa Virtutis ſacrae
Si tantulum contemnimus, magnum nefas:
Neſcire rurſus, noſtra quae ſint gaudia,
Qui monitor, auctor, ſuaſor, impulſor fuit,
Non eſt ferendum. Mens in obſcuro iacet,
Vt terra in vmbra media, cum ceſſit dies.
ARIS. Tu qui tenebras dimoues e pectore,
Vt Sol opaco ab orbe, cum rediit dies,
Et nox receſſit iuſſa. Tu fons luminis
Praetende lucem hac nocte curarum Deus.

TRO-

TROPHIMVS. ERGASTVS ARISTVS

NE VANVS labor, o iuuenes. Men quae-
ritis? Adſum
Veſter ego, hic adſum. Nec me communia fallunt
Gaudia quae fuerint. Ego vos per caeca viarum,
Per durum Virtutis iter, per deuia montis,
Adduxi, ſuperaq. ambos ex arce reduxi.
Quamuis nulla meos penetrarint lumina vultus.
Non mortalis ego, Ergaſte, o mea maxima cura.
Namque tibi e coetu aligerum me rector Olympi
Cuſtodemq. ducemq. dedit, cum matris ab aluo
Egrediens, primum viſiſti luminis oras.
Ipſe autem, errantem, & vitae per iniqua vagantẽ,
Vt regerem melius, mortalia corpora ſumpſi,
Et lucem aetheriam nubes obduxit amictu.
Nunc autem, Deus ipſe pium ſuccedere votum
Quod dedit oranti, pulchroq. cupidine captos
Virtutis vos tangit amor, nec longius ora
Eſt mihi fas hominum tectae ſub imagine formae
Induere, in tenues dilabar protinus auras.
Nec tamen abſcedens, ſolum te Ergaſte relinquo.
Haerebo aſſiduus, fidusq. per omnia cuſtos.
Quãquã oculi haud poterũt comitẽ ſpectare ſequẽtẽ.
Nuſquã abero, & caeli tandẽ te in limine ſiſtam.
Vos, quibus e noſtro nuper lux fulſit Olympo,
Muneris accepti memores, dum vita manebit,
Eſte viri, & celebrate Dei immortalis honorem.

ERG. Quo

ERG. *Quo fugis? o comes, o meus arbiter*
Vitae, quo fugis? & me in imagine
Formae humanae, tempore decipis
Tam longo? Heu miſer, heu quibus artibus,
Moribus heu quibus, infelix, tua
Laeſi lumina, & aures. Heu miſer.
Vrbis ſidereae o vetus incola,
Ciuis & inclyte, parce precor precor,
Inſpira bone tu mentem optimam,
Et quicquid cupio, affer opem, vt queam.
Sordet humus mihi: mens inhiat polum.
Tu te aſpectu e noſtro ſubtrahis.
Sed properanti porrige dexteram,
Nec me, quamuis dignum, deſere.
Hoc tua te pietas & amor iubet.

ARIS. *Ingrata terra, o gentis humanae ſtatus*
Amens, miſerque, & immemor honoris tui:
Eſt ſumma ab arce ſingulis cuſtos datus,
Vt quiſque iniuit prima vitae limina,
Caeleſtium illo ex ordine, & ſacra manu,
Quae laeta dum perfruitur adſpectu Dei,
Oculosq. paſcit lumine, ac mentem replet.
Ante ora ſemper ciuis aetherij ſumus:
Ille arbiter teſtisque, non factis modo,
Prope cogitatis intereſt. Ecquis timet
Ne tam pudicis mentibus labis nigrae
Et inquinatae fiat adſpectu grauis,
Nec potius atra ſorde ſe contaminat?
Atque his tibi blandiris, his caelum putas
Superare pennis? Ardua ad caelum eſt via:

Caeli aemulare ſtudia, qui caelum petis.
ERG. Audis? Etruſcae ſonitus increpuit tubae.
Quis inflat aera? geſtit hic animus mihi,
Et gloriae praeſumit egregium decus.
ARIS. Niſi fallor, ipſa huc Fama molitur gradus.
ERG. Ipſa eſt. Viden quot lumina, quot aures habet?

FAMA.

ILLA SVM, quae per remotas Fama terras explico
Feſſa numquam alas volucres, orſa praeſtantum virum
Nuntians: vt ſint vbique, & audiant ſemper bene
Toto in orbe, mente recta, & laude laetati bona.
Huc vocor Virtutis imperio, & rogatu Gloriae,
Quae ſequetur cum Poëſi & fratre germano ſuo
Ac ſodali Honore, & vna ſplendidos libros feret,
Quos ſtatim virtutis ergo, & muneris donet loco.
Hinc ego laudabo bonorum nomina adoleſcẽtium,
E libello, nuper ipſa quem dedit Virtutis mihi.
O beatum qui laboris praemium excellens feret,
Cuius & laudes Poëſis carmine extollet ſuo, &
Muſice reddet canendo carminum auditos ſonos.

GLORIA.

GLORIA. HONOR FAMA

ADES huc frater, qui nobilium
Celebras ſemper facta virorum
Inclyta ſemper: numquamque decus,
Nomina numquam tacita eſſe ſinis.
Ades huc nobis expers ſenij,
Verſuque potens, caſta Poëſis:
Neu vos pigeat paruum ad tempus
Eſſe his terris, monte relicto.
Iubet hoc Virtus, praeſensque rogat,
Vtrique ſacer, carus vtrique,
Iuuenum coetus, coetusque virum.
Erit hic aliquid noſtri officij
Comites eſſe,
Veſtrumque ſimul munus obire.
Stimulis iuuenum impellenda nouis
Corda per altum Virtutis iter,
Corda impulſu concita laudis.
Ferte huc pueri munera, ferte
Munera doctae grata iuuentae,
Quam commendat Labor & Virtus.
Ferte huc libros, ferte coronas,
Pretia ingenij, praemia palmae,
Bona Virtutis dona egregio
Hoc conſeſſu donanda virum.
O te nimium ſuper aequales
Fortunatum, ſuper aequales

Quem

Quem laudatum Fama vocabit,
Partum vt ſumas victrice manu
Hoc tam inſignis pignus honoris.
Cui pulcher Honor laeta virenti
Tempora cinget rite corona.
Cuius amabit dicere laudes
Caſta Poëſis: cuius laudes
Decus ingeminans nomenque, frequens
Aula ſonabit.

HON. Niſi iam moleſtum eſt, Fama, da ſignum tuba,
Et clara iuuenum nomina e ſcripto cita.
FAM. Quod ſit bonum felixq. pulchris litteris,
Collegio Romano, & alijs omnibus.

PRAEMIA

M. TVLLII Ciceronis opera omnia.
Egregium munus, ſeptena volumina Tulli.
Numquam alias quiſquam talia dona tulit.
C. PLINII Naturalis hiſtoria.
Diſcere multa cupis, multosque euoluere libros?
Vnum hoc pro multis multa docebit opus.
PLVTARCHI vitae Latinè redditae.
Pellege Romanas, Graecasque ex ordine vitas.
Qui melius poſſit tradere, nullus erit.
P. VIRGILIVS Maro, & Statius.
Carminis ſi te ſpecies Latini
Tangit, hunc verſa ſtudioſe, & iſtum:
Hunc magis. Solus facit hic diſertos
Eſſe poëtas.
SILIVS Italicus, & Senecae tragoediae.
En tibi, victor, geminos poëtas:
Silium effuſum, Senecamque doctum.
Hic tubam dextra gerit: ille vincit
Crura cothurnis.

C. VALERIVS Flaccus, & Lucanus.

Atticas vna Latiasque pugnas
Carmine expreſſas dabit hoc volumen.
Has lege, atque illas: meliora vtrinque
Sed tamen hauri.

HOMERI Ilias & Odiſſea.

Princeps ſonori carminis, & virum
Praeco inuidendus, dum fera proelia,
Et cantat errores Vlixi,
Mentem acuit ſimul, atque linguam.

EVRIPIDIS tragoediae.

Prodeſſe vates ſi ſolet optimus,
Delectat idem: quem Sapientia,
Et mater effinxit Poëſis,
Fecerit Euripides vtrumque.

PINDARI carmina Graeca Latine conuerſa.

Laudes virorum factaque fortium
Late ſonanti ſi celebras lyra,
Quos nulla delebit vetuſtas
Pindaricos imitare cantus.

M. TVLLII orationes tribus voluminibus.

Lumina Romanae vt referas & fulmina linguae,
Aſſidua hunc verſa nocte dieque manu.

M. TVLLII libri omnes ad Rhetoricam pertinentes.

Rhetoricae praecepta artis meditare? Magiſter
En tibi Romani Tullius eloquij.

PETRI Ioannis Perpiniani orationes.

Quae rhetor praecepta tibi, quae exempla daturus,
Expreſſa hic Petrus Perpinianus habet.

PETRI Angelij Bargaei poëmata omnia.

Queis armis volucres, queis capias feras,
Queis ſuſcepta animis ſint pia proelia,
Vix vno Angelius Virgilio minor,
Dicit carmine nobili.

CL. CLAVDIANI opera.

Et cultum & lepidum carminis accipe
Auctorem: hic nitidis floribus, vt caput
Ornes conſpicuo munere Principum,
Nectes ſerta virentia.

PRVDENTII Iuuenci Aratoris & Sedulij carmina.

Auditis varijs nominibus ſtupes?
Non hic monſtra deum turpia, ſed leges
Sanctas hiſtorias, ſacraque carmina
Vno iuncta volumine.

TESTAMENTVM Nouum Graece.

Doctrina & Pietas ſacro ligantur
Vinclo: nec poterunt ſuas obire
Partes, ſi dirimas. Dei hinc amorem
Fac diſcas ſimul Atticamque linguam.

EVRIPIDIS tragoediae.

En ridet rutilo liber colore,
Arrides oculis, manumque tendis,
Subrident alij, tibique plaudunt.
Hos fructus peperere tot labores.

SOPHOCLIS tragoediae.

Doctarum Sophocles comes ſororum,
Et princeps tragicae locutionis,
Quo nil eſt grauius diſertiusve,
Scribas vt bene fabulam, docebit.

P. CORNELIVS Tacitus.

Ipſe quidem Tacitus loquitur nullo ore tacendus:
Sed tamen eſt viſus ſaepe tacenda loqui.

M. ANTONII Mureti orationes.

Diſce hinc quid Pietas, quid poſſit Copia linguae,
Poſt ſua Muretus funera, nullus obit.

APPIANI Alexandrini hiſtoria.

Hiſtoriae pars magna vrbis, patrumque, ducumque,
Et palmae, & clades, vnde petantur habes.

M. MANILIVS & Boëtius, de conſolatione.

En qui lucida ſidera,
En qui mentem auidam quod regat, admonet.
Eſt mole exigua liber,
Immenſi ſed opus ponderis eſt loco.

HIERONYMVS Vida, & Sannazarius.

Quid praeſentia ſaecula
Fruſtra deprimimus turpiter inuidi?
Eſt hoc nobile par virum,
Quos laudent etiam priſtina ſaecula.

Sententiae poëtarum.

Ex hortis Sapientiae
Flores auricomos, quos tulit optima
Vatum Romulidum manus,
Hic textos modicus faſciculus dabit.

PINDARVS cum reliquis Lyricis octo.

Hic mel Mopſopium fert apis Attica:
Hic large bibitur Pindaricum melos:
Hinc diſces varij carminis artifex,
Cantus Pieria quos ſocies lyra.

AESOPI Phrygis fabulae.

Sub inuolucro fabulae abdit Aeſopus
Res ſerias, humanae & vtiles vitae:
Vt litterarum exordia hinc forent priſcis.
Crede. Hoc eris prudentior libro lecto.

HIEROCLIS commentarius in aurea carmina Pythagorae.

Scriptor magnanimi propoſiti tenax
Verſus Pythagorae detegit aureos:
Pluſque omni facit auro
Clarum, ac magnanimum virum.

PAVLI Manutij epiſtolae.

Paulus adeſt Tulli ſapiens imitator: vt vtrum,
Cum legis hunc, teneas, addubitare queas.

C. CAESARIS commentarij.

Caius Iulus hic eſt, nouit qui maxima quondam
Scribereque, & facere.
Tu quoque condiſce hinc, poſſis vt maxima quondam
Scribereque, & facere.

C. SALLVSTIVS Criſpus.

Thucydidi oppone, Herodoto feliciter aequa
Fabi aemulum Salluſtium.
Hic neutro minor eſt. Iuuenis cape. treſque libello
Iunctos in vno pellege.

M. TVLLII epiſtolae ad Atticum.

Quae via, quae ratio, ad carum cum ſcribis amicum
Optima ſit, ſcribens Tullius ipſe dabit.

A. GELLII noctium Atticarum libri.

Aulus ne Gellius, an Agellius, quaerunt,
Dicatur is, qui ſcripſit Atticas noctes.
Hic ille. Sane pulcher. Hunc libens ſume.
Cum res datur fruenda, nil moror nomen.

IVSTINI hiſtoria.

Quas ſcripſere alij per multa volumina, terras,
Et exterarum regna, & arma gentium,
Iuſtinus librum egregie contraxit in vnum,
Vt ſcalptor Orbem marmore effingit breui.

LACTANTIVS Firmianus.

Accipe Lactanti quod tractes ſaepe volumen:
Hic Latias voces, ac pia dicta leges.

M. TVLLII epiſtolae ad familiares.

Cui dono aureolum nouum libellum?
An vero tibi, qui tuos ſodales
Viciſti ingenio, elegantijsque?

P. OVIDII Faſtorum, Triſtium, & de Ponto.

Et facile, & caſtum hoc carmen ne ſperne poëtae.
Nullum aliud pueris aptius eſſe queat.

M. TVLLII epiſtolae ad familiares.

Hic auctor recte ſcribendi Tullius, hic eſt.
Nil magis egregium Romula lingua tulit.

Q. CVRTIVS de rebus geſtis Alexandri Magni.

Fortia Alexandri commendat prœlia Magni,
Magnus & idem Curtius auctor.
Sic currit ſimilis fonti, fluuioque liquenti,
Saepe hac te te prolue lympha.

VALERIVS Maximus.

Cur te praeteream Valeri? Tu maximus ille es,
Qui externam & noſtram ſcribendo commemoras rem.
Tu cape, & his lectis, puer, oblectabere chartis.

EPI-

EPILOGVS

PVER & FAMVLVS GLORIAE

VIRTVS, Poëſis, Gloria, Voluptas, Honor,
Iuſtitia, Ariſtus, Trophimus, Ergaſtus, duplex
Panurgus, adde Muſicam, & Famam leuem,
Et quidquid aliud fabulae haec ſpecies tulit:
Venere cuncta huc denique: ad ſummam, data
Sunt dona paucis, pauca: cum multis ego
Expers, & expes munerum, atque inglorius,
Quod grauius eſt, relinquor. Haud culpa mea.
Saltem addidiſſent, aleam certaminis
Tentare noluiſſe: nec tantum hiſcerem.
Non victus eſt, qui caruit aduerſario.
Nunc prouocandi ad iudices nullus locus.

Nullum

Nullumve tempus. Iſta ſi ſciſſem prius,
Extrema ſane impoſita non eſſet mihi
Perſona tantum vt more ſollemni, ac modo
Hoc iam recepto, Vos valete & plaudite,
Nec aliud vltra dicerem. Verba heu data,
Mihique fucus factus. Oratos velim
Vos Principes ampliſſimi, vt veſtra bona
Cum gratia, illis gratiam referam parem.
Luſere me, ludantur. Ignoſcent, puto,
Aliqui: probabunt plurimi: ſaltem quibus
Nullum eſt tributum praemium: & ſocios iuuat
Poenarum habere: vt eſt vetus prouerbium.
Stomachum mihi haec fecere. Sed puerum ſtatim
Credo vocabunt. Scilicet. Quid poſtea?
Ringantur, ora contrahant. Ego me virum
Oſtendam: & animum explebo: & vlciſcar probe.
Exilius quid culice? formica minus?
Formicae ineſt ſua bilis, & culici ſua.
Qui geſſerit ſe pro ouicula, hunc mandet lupus.
Etiam hoc fatebor. Verba, ſed communia,
Quibus agerentur gratiae, quae iam diu
Magno labore edidici, abiſſe intelligo:
Fugere cuncta: iuſtus excuſſit dolor.
Ego quoque abibo. Neminem veſtrum moror.
FAMVL. Mane, mane. Hoc te Gloria ornat munere.
Quamuisq. paruum, vt conſulas aequi & boni.
Orat. PVER. Benigne. FAM. Hoc addit, addendum quoque
Aliud merenti, immo alia, poſt paucos dies:
Vt iſta & animi, & ingeni clara indoles,

Atauisq.

Atauisq. digna illuſtribus poſcit tuis.
PVER. Tu, ſi placet, age gratias verbis meis
Quam maximas. Ego nitar (& ſpero Deo
Iuuante) vt eius dono, & iſtis laudibus
Inueniar eſſe dignus. FAM. Ita fiet. Vale.
PVER. O quanta vis eſt munerum. Placant Deum
Hominesque. Ad aegrimoniam certe meam
Nullum admoueri lene tormentum magis,
Magis ve potuit eſſe fomentum efficax.
Nubes vt atras diſſlat acer ſpiritus,
Sic munera iras pectore abſtergunt graues.
Iam nunc reuixi: rediјt ad notam domum
Fugitiua mens. Mandata nunc tandem exequar,
Vosque alloquar, & exordio ſumpto nouo.
Nulla alia dandae cauſa fabellae fuit,
Niſi vt darentur praemia. Et quamquam fuit
Fortaſſe grauior illa, dum ſententias
Quaſdam diſertas alligat Iambo pede:
Vt mentibus inhaerere poſſent altius,
Tenerumque pectus erudiretur magis,
Voluere factum. Conſili non poenitet.
Nota eſt imago, qua Cleanthes dicitur
Eſſe vſus olim: audire non fuerit leue.
Vt noſter, inquit, ſpiritus iactat ſonum
Tunc clariorem, longa quando illum tuba
Anguſtiore duxerit tractum tubo,
Patentiore vt exitu inueniat viam,
Grauiusq. mentem ſuſcitat, & aures ferit:
Haud aliter hominum ſenſa perſpectiſſima
Verſus facit neceſſitas. Quae oratio.

Soluta

Soluta promit, illico audita excidunt,
Et audiuntur ſegnius. Numeri ſimul
Pedesq. pulchram vinxerint ſententiam,
Penetrabit illa, torta ceu neruo ſonet,
Saeuo & lacerto excuſſa. Sic iuuit ſimul
Miſcere dulce & vtile. Hac iuuenes via,
Quo vera Virtus, quo Voluptas ſubdola,
Ducat, docere libuit: exemplo vt queant
Ficto moneri, & quicquid efficiant, velint
Spectare finem. Hoc eſt opus Prudentiae.
Qui ſuſcipit rem temere, poſt factum ſapit.
Vos factum, & ipſa cauſa quae facti fuit,
Habetis omnes. Si quid auribus accidit
Animisq gratum, gratulamur, gratias
Agimus, habituri ſemper. Ingratum accidit,
Nollemus eſſe factum. At eſt factum tamen:
Veſtrum omnium eſt ignoſcere, & veniam dare,
Duplicemque noſtram promereri gratiam.
Sed, hoc, an illud fuerit, illuſtriſſimi
Patres, virique Principes, Plauſum date.

FINIS.

ROMAE,
Apud Iacobum Ruffinellum.
M. D. X C.